J xxxiii
17/m

IOHANNIS MEVRSII

DE

PVERPERIO

SYNTAGMA

CVM

HISTORIA MONSTROSAE PARTIVM GENITALIVM CONFORMATIONIS

IN ADVLESCENTE

ANIMADVERSIONIBVS ILLVSTRATA

EDIDIT

IOH. GEORG. FRID. FRANZIVS.

LIPSIAE

SVMTV IOH. GABR. BVESCHELII VIDVAE

CIƆIƆCCLXXXV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO EXPERIENTISSIMO

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

CAROLO LVDOVICO CAVERO

ARTIS MEDICAE DOCTORI CELEBERRIMO

SVAM ARTEM DRESDAE

CVM LAVDE EXERCENTI

PATRONO ET FAVTORI

MAXIMOPERE COLENDO;

VIR EXPERIENTISSIME, AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME,

PATRONE AC FAVTOR MAXIMOPERE COLENDE,

Parentibus id praeprimis curae cordique eſt, vt abſoluto puerperio, et in lucem edito infante, cogitent atque ſtudeant, ad quoſnam potiſſimum partes ſponſorum ſuſceptorumque deferre et a quibus humaniſſime velint precari, vt huic officio libenter defungantur. Sic et ego,

 coeli-

coelibatus quidem amicus perpetuus ac defenſor ſtrenuus, manus obſtetricias puerperio Meurſii adhibens, ingenii ſimul mei fetum, omni prorſus elegantia deſtitutum, atque adeo monſtroſe formatum, prodire iuſſi; ſic enim nominare placet hiſtoriam monſtroſae conformationis partium genitalium in adoleſcente, mea cura editam, atque animaduerſionibus meis qualibuſcumque illuſtratam. Cognoui autem atque perſpexi illud mihi officium eſſe iniunctum atque impoſitum, vt diſquiram, cuius curae illum committere atque commendare poſſim, eo praecipue conſilio, vt eum ſuſcipiat, et foueat, atque caueat, ne ſortem fetuum expoſitorum experiatur. Spem autem

con-

concepi certiſſimam Tibi nequaquam fore prorſus ingratum, ſi abs Te precibus meis humaniſſimis id efflagitare atque impetrare ſtudeam, vt eum non ſui cauſa, nam eſt neque venuſtus neque comtus, potius deformis atque rudis, ſed propter comitem, videlicet puerperam Meurſii, politam, lotam, atque ornamentis maximis ornatam, recipere in tuam velis tutelam, ipſique bene cupere. Fauor ille prorſus ſingularis, quo me complexus es, et cuius nuper luculenta exſtare voluiſti documenta, quum mei cauſa ſuſciperes moleſtias, me certiorem reddunt, Te et hunc libellum, quem Tuo Nomini inſcribere ſuſtinui, hilari fronte eſſe accepturum, et quum omni ſit deſti-

tutus gratia, tamen ob animum Tibi deditiſſimum, quo Tibi offertur, humaniſſime, eſſe lecturum. Ceterum ad me quod attinet Tibi perſuadeas velim, mihi nihil carius iucundiuſue accidere poſſe, quam, vt in poſterum mihi Tuo fauore, quo nullo vnquam excidere cupio tempore, frui liceat. Vale atque fauere perge

TVO NOMINI

Lipſiae Kal. Iunii.

CIↃIↃCCLXXXV.

deditiſſimo

IOH. GE. FR. FRANZIO.

PRAE-

PRAEFATIO.

Plures ſunt cauſae, quibus excitati ſumus ad recudendum egregium Meurſii de puerperio libellum, qui, quamquam mole exiguus eſt, tamen rerum atque doctrinae copia quam maxime refertus, et prodeſſe et oblectare mirifice poteſt; principes tamen nominaſſe ſufficiet. Raritas huius libelli aeque ac praeſtantia primum obtinet locum, quae a nobis pluribus non eſt commemoranda, quum Gronouii teſtimonium, qui eum Theſauro ſuo Antiquitatum Graecarum a) inſerendum curauit, omni laude maius ſit cenſendum, et quum ſeorſim haud facile comparare illum nobis queamus: primum enim cum libro de funere prodiit, quem in

a) Vide Tom. VIII. p. 1421. ſqq.

in Bibliothecis multis inſtructiſſimis fruſtra quaeres. Alteram cauſam, eamque aeque grauiſſimam, merita eius in rem litterariam vniuerſam atque philologiam nobis ſuppeditarunt, vltro enim ſubſcribimus Imperiali b) praeclare de eo ſententiam hanc ferenti: *Vnus hic verendus antiquitatis arbiter ac deliteſcentium eius ſcriptorum indagator et heluo, plura ex Graecis reuocavit in lucem Latineque reddidit, quam alii centenis retro annis praeſtitiſſe dicantur.* Complura hac de re eius teſtantur ſcripta, quae quidem non vacat iam recenſere vberius; hoc tantum addere iuuat, quamplurimos viros doctos c) optaſſe, vt ſcripta eius ob praeſtantiam prorſus ſingularem, eximiam vtilitatem, doctrinae copiam, et rerum vbertatem, ac dictionis elegantiam de nouo recudantur, et in certos tomos diſtribuantur. Neque poſteritas

b) Vide Imperialis in Muſeo, pag. 204.

c) Cf. G. Matth. Koenigii Bibliothecam p. 538. et laudatos ibi auctores.

ritas ingrata erga tanti eruditi hominis merita in rem litterariam vniuerſam, atque exquiſitae doctrinae illius diuitias fuit; non ſolum enim multae commentationes Theſauris Antiquitatum Gronouii atque Graeuii inſertae ſunt; ſed adeo ante aliquot annos omnia ipſius opera Florentiae nitidis characteribus in forma maiori impreſſa prodierunt. Praeterea eius libri noſtris quoque temporibus, quibus a multis antiqua alto deſpiciuntur ſupercilio, ſuos amicos atque admiratores, inuenerunt, a multiſque iiſdem litterarum ductibus atque apicibus multa loca fuerunt deſcripta atque ſuppreſſo veri auctoris nomine edita, ac tanti a quibuſdam aeſtimata, vt talia ſcripta floribus ex Meurſio ſertiſque decerptis atque furtim ſurreptis, magnis laudibus ornarent atque ad caelum extollerent. Poſſem hic multos nominare, qui depromptas ex Meurſii theſauris opes pro ſuis venditare non erubuerint, atque ſuam egeſtatem

ſub

ſub diuitiis tanti viri occultare ſtuduerint: verum tranſeant atque quieſcant in pace. Ad alia enim veniendum eſt. In libello noſtro, quem prodire iuſſimus, lacunam quamdam a nobis minime explendam inuenimus, cui medicas lubenter adhibuiſſemus manus, ſi modo fieri potuiſſet atque licuiſſet. Capite etenim primo in fine pauca deeſſe videntur, quorum tamen in argumento huic capiti praefixo fecerat Auctor mentionem, videlicet *de ſtudio mulierum celandi grauiditatem*, quae non niſi ex prima editione, qua potiri non potuimus, aut ex Florentina, cuius quoque inſpiciendae nobis non fuit facultas, ſunt reſtituenda. Gronouius enim in Theſauro ea omiſit, ex quo recudendum illud ſyntagma curauimus, et ſuſpicamur merito, exemplum, quo vſus eſt Gronouius, ea vel non habuiſſe, vel ipſa ab operariis et correctoribus ex negligentia eſſe praetermiſſa. Noſtrae coniecturae fauet potiſſimum id, quod interdum

dum in Graeuii et Gronouii Theſauris animaduertimus, non ſemper tantam accurationem, quanta neceſſaria fuiſſet, in libris quibuſdam theſauris illis inſerendis fuiſſe adhibitam, et multos libellos truncatos eſſe atque mutilatos; et ſic quoque penes noſtrum res ſe habere poteſt. Interim tamen Meurſio ipſi in hoc ſyntagmate conſcribendo ille locus ex animo fortaſſe excidit, quod admodum facile fieri potuit, homines ſiquidem ſumus, neque ſine cauſa memoria lapſum eſſe Meurſium credo, quum Th. Bartholinus d) qui haud dubie prima vſus eſt editione, eius enim temporibus illa fuit neque rara, neque, quod ſciam, plures tunc exſtitere; nullam quoque mentionem de grauiditate ſtudioſe celata faciat, qui tamen veſtigia Meurſii ſequutus eſt, de ſua ſcribens ſynopſi: *Quid autem exſpectare debeas ex ſynopſi hac perſpicies, cuius ſingula*

d) Vide Antiquitatum veteris puerperii ſynopſin in praef. verſus finem.

la capita exiguum Cl. Meurſii de puerperio Graecorum opuſculum exaequant. Rebus ſic comparatis nos veniam penes lectores noſtros eſſe impetraturos et excuſatione dignos iudicaturos ſperamus, ſi omiſſa ex ingenio noſtro non tentauimus reſtituere, atque audaci adiicere manu, quum religio nobis fuerit, aliena et forte ſpuria genuinis atque propriis auctoris addere verbis.

Verum neque incongruum, neque inconueniens eſſe exiſtimauimus huic de puerperio ſyntagmati hiſtoriam monſtroſae conformationis partium genitalium in adoleſcente conſpicuae ſubnectere, multis de cauſis iiſque grauiſſimis quam maxime commendatam. Raritas enim ipſius conformationis non ſolum omni attentione et conſideratione digna eſt cenſenda; ſed etiam propriae circumſtantiae cum illa arctiſſime coniunctae me ad illius deſcriptionem plenariam impu-

pulerunt, praeſertim quum intelligerem, atque perſpicerem, hanc hiſtoriam eſſe aptam ac accommodatam ad diſquiſitiones paulo abſtruſiores et quam maxime reconditas. Monſtrorum enim aeque ac monſtroſae partium ſingularum conformationes etiamnum in clariori illa luce, qua omnia fere doctrinarum genera noſtris feliciſſimis colluſtrantur temporibus, magnis ſpiſſiſſimiſque tenebris obuelata tectaque ſunt, vt cuilibet, ingenio perſpicaci atque acuto praedito, multa relicta eſſe videantur, in quibus declarandis vberius atque commemorandis accuratius, diſquirendiſque plenius haud inutili ſtudio verſari queat. Itaque nos de hoc argumento cogitantes noſtrarum partium eſſe duximus, quaedam hac opportunitate nobis oblata, delibare atque in chartas leui coniicere manu, cetera autem grauioraque aliis relinquere, qui meliora atque lima politiora reddita proferre ſolent argumenta dilucidationeſque

que optimas. Nobis ſufficit ea tantum attigiſſe atque commemoraſſe, quae primo obtutu inter alios labores, ſeſe nobis ſponte obtulerunt. Me quidem non latet animaduerſiones multo plures hiſtoriae illi addi potuiſſe, quae et vtiles fuiſſent et animos eiuſmodi rerum cupidos mirum in modum reficere atque recreare potuiſſent; at quum reputarem in nimiam molem excreturum eſſe libellum, atque animaduerſiones comparatae cum hiſtoria propoſita maximam partem chartae replerent, magis manum retinere malui, quam vt immane monſtrum continere atque exaequare videantur. Nihil amplius addo, quam vt probi eiuſmodi rerum arbitri hanc meam qualemcumque operam huic libello dicatam boni aequique conſulant, atque meum laborem non prorſus irritum iudicent ſuperuacuumque.

I.

IOHANNIS MEVRSII

DE

PVERPERIO

SYNTAGMA.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO

CORNELIO VAN DER MYLE

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI MAVRITIO A CONSILIIS

IOHANNES MEVRSIVS

S. D.

Hoc ſyntagma quum ederem, V. N. et A. inſcribere tuo nomini decretum fuit. Cauſſae mihi non diu quaerendae, quae in promtu. Coniunctio animorum, et blanda conſpiratio Genii vtriuſque noſtrum. Amauimus enim inter nos conſtanter a teneris vſque vnguiculis, in eodem ludo, ſub iiſdem praeceptori-

bus creuimus, eadem ſtudia habuimus in eadem Academia; donec exteras nationes videndi deſiderium, quod te capiebat, diſiunxit. Sed redux poſtea de amore et adfectu erga me nihil remiſiſti. Et ne nunc quidem honoribus auctus, qui mutare mores ſolent, veterem amicum dedignaris, etſi infra te collocatum. Idem es, qui fuiſti; et nihil in te iuris habere Fortunam oſtendis. Macte iſta virtute; et animum mihi porro illum tam beneuolum, tam addictum ſerua: ego tibi cultum, quem debeo. Eius pignus hoc *De Puerperio* accipe, cum voto, vt ſemper id felix ſit tuae Iunoni. Vale Vir Nob. et Ampl. Hagae - Comitis Poſtridie. Id. Iul. CIↃ.IↃ.C.IV.

Index

INDEX CAPITVM.

Cap. I. Vota parentum pro liberorum ſuſceptione. Noua nupta inſidebat Mutini faſcino. Sacra eidem a mulieribus facta. Dii praeſtites concubitus. Mulieres ſteriles ſe Lupercis verberandas offerebant. Amiculum Iunonis. Praegnantes in Graecia ante quadrageſimum diem fanum non ingrediebantur: et Palilia diem feſtum habebant. Quae formae ſtudioſae vterum celabant.

Cap. II. Deorum beneuolentiae, et pudicitiae maternae ſigna habebantur, gemellos parere, et ſine dolore, item ſimiles. Puerperae dii cuſtodes tres.

Cap. III. Omina futurae magnitudinis vnde capi ſolita.

Cap. IV. Infantes nati Genii et Iunonis tutelae tradebantur. In terra ſtatuebantur, captaque auſpicia an Vitales forent, et ſternebatur lectus Pilumno ac Picumno. Suetonius illuſtratus. Referebantur in acta: quod neglectum iterum excitauit M. Aurelius.

Cap. V. Clypei et vanni pro cunis: et cuius rei id auſpicium. Infantes veſperi lauari ſoliti. Lacaenae in clypeis pariebant. Dii infantum curatores. Fabii.

Cap. VI. Puerperae Zonas Dianae conſecrabant, et veſtimenta. χιτῶνη. ἀμφιδρόμια. δεκάτην θύειν. ἑστιᾶσαι. Luſtricus dies. Dea nundina. Munera Puerperac mitti ſolita.

Cap. VII. Virga populea depangi ſolita. Palma a parturientibus tacta. Coronae in foribus ſuſpenſae. Braſſica Puerperis data. Earum aedes intrare ſuperſtitioſiores nolebant. Diogenes Laertius emendatus. Iuſtum Puerperii tempus, et eo exacto feſtum τεσσαροκοστῶν.

IOHAN-

IOHANNIS MEVRSII

DE

PVERPERIO

SYNTAGMA,

CAP. I.

Vota parentum pro liberorum ſuſceptione. Noua nupta inſidebat Mutini faſcino. Sacra eidem a mulieribus facta. Dii praeſtites concubitus. Mulieres ſteriles ſe Lupercis verberandas offerebant. Amiculum Iunonis. Praegnantes in Graecia ante quadrageſimum diem fanum non ingrediebantur: et Palilia diem feſtum habebant. Quae formae ſtudioſae vterum celabant.

Iuno Lucina faue, ad Puerperium vocaris, etſi non a puerpera: puerperium, quod tibi mulier nulla conabitur, ſed illae, vt Auſonius appellat, Cadmi nigellae filiae; neque

 in

in terra partus ſtatuetur, ſed niueo chartae ſolo. Qualecumque vero futurum eſt, alienum a tua ope non erit, quippe quam omni paſſim Puerperio praefecit maritus et frater ille tuus:

Ζεὺς ὑψιβρεμέτης ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

Adeſto itaque ad munus propitia. Non alte repetam principia, aut cauſſas, e Medicorum aut Mathematicorum libris, quo quid temporis perficiatur, et quodnam cuiuſque planetarum opus ſit: hoc enim eſſet a Ledae ouo ordiri bellum Troianum. Ab ipſo mihi Puerperio initium erit, et puncto temporis, quo in communem hanc lucem proruptura eſt noua proles. Paucula tamen, quae non ab re, praemittam, veluti clamores ſuos mulier dum parturit. Summum omnino parentibus votum erat liberorum, itaque noua nupta, ne ſterile coniugium haberet, in Mutini, ſiue Priapi, faſcino ſedere ſolebat. Auguſtinus a) *Sed quid hoc dicam, quum et ibi ſit Priapus nimis maſculus, ſuper cuius immaniſſimum et turpiſſimum faſcinum ſedere noua nupta iubebatur more honeſtiſſimo et religioſiſſimo matronarum?* Arnobius b): *Etiamne Mutinus cuius immanibus pudendis horrentique faſcino inequitare matronas et auſpicabile*

a) de ciuitate Dei Lib. VI. c. 9.

b) aduerſ. gentes, Lib. IV.

bile ducitis, et optatis? Idem quoque legere eſt apud Lactantium c). Hic Tetinus quoque dicebatur, quippe cui tendendi nerui cura eſſet, mulieresque ei in Veliis ſacrificabant velatae togis praetextis. Feſtus d): *Mutini Tetini ſacellum fuit Romae, cui mulieres velatae togis praetextis ſolebant ſacrificare.* Hinc quoque Dii culti plurimi, ipſius coitus praeſides, Subigus, Prema, Pertunda, Perfica. Saturnus, vt ſemen conferret: Liber, et Libera, vt ſemen emitterent, hic viris, illa feminis: Ianus, vt ſemini in Matricem commeanti ianuam aperiret: Iuno, et Mena, vt fluores menſtruos regerent ad foetus concepti incrementum: Vitunus, vt vitam donaret: Sentinus, vt ſenſum. Sed maxime omnium culta Iuno, et quaſi familiam haec ducebat. Arnobius e): *Parturiunt, pariunt, vt difficiles puerperiorum tricas Iuno mulceat, corripiatque Lucina.* Deinde: *Puerperiis Iuno praepoſita eſt, et auxiliatur genetricibus foetis.* Hinc illi cognomina Februlis, Fluonia, Opigena, Lucina. Itaque fiebant ei ſacra menſe Februario, eiuſque feriae erant Lupercalia, et ſteriles quae eſſent Lupercis februantibus verbe-

c) Diuin. Inſtitut. Lib. I. c. 20.

d) de verbor. ſignif.

e) Lib. cit. L. III.

berandas ſeſe praebebant. Diſcimus ex Iuvenali f):

Interea tormentum ingens nubentibus haeret,
Quod nequeunt parere, et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora iuris
Natura indulget: ſteriles moriuntur, et illis
Turgida non prodeſt condita pyxide Lyde,
Nec prodeſt agili palmas praebere Luperco.

Interpres vetus g). *Steriles mulieres februantibus Lupercis ſe offerebant, et ferula verberabantur.* Erat autem iſta ferula ex pelle caprina, et *Amiculum Iunonis* dicebatur. Feſtus h) docet: *Mulieres februabantur a Lupercis amiculo Iunonis, id eſt, pelle caprina.* Praegnantes autem Parilia colebant, dicis cauſa in lecto cubantes. Feſtus i): *Parilia feſta ſibi obſeruanda iudicant priuatim ipſae quoque puerperae domi in ſtratis, vt in pariendo ab eis quaſi ſtabiliantur.* At haec Romae; transeamus in Graeciam. Ibi ſimiliter ſollicita vota pro liberis, et ſacra facta Iunoni, Veneri,

f) Sat. III.

g) ad loc. laud.

h) L. c.

i) L. c.

ri, Gratiis. Etymologici auctor k): Φασὶ γαμηλίαν θυσίαν, ἣν ἔθυον τοῖς δημόταις, οἱ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφόμενοι, καὶ οἱ μέλλοντες γαμεῖν. Ἐγίνετο δ' ἡ θυσία τῇ Ἥρᾳ, καὶ Ἀφροδίτῃ, καὶ Χάρισι. Et has *Gamelias virgines* intelligit Feſtus l), quum inquit: *Gameliis virginibus, ſupplicare nupturae ſolitae erant.* Neque turbare aliquem debet, quod Iuno et Venus virgines appellentur, nam Virgo Latinis, vt παρθένος Graecis, commune etiam nuptarum vocabulum eſt. Athenienſes enim Cotto, Gygi, et Briareo, quos τριτοπάτερες dicebant, ſacrificabant. Phanodemus m) apud Suidam: Μόνοι οἱ Ἀθηναῖοι θύουσί τε καὶ εὔχονται αὐτοῖς (τοῖς τριτοπάτορσιν) ὑπὲρ γενέσεως παίδων. Praegnantes autem factae ante quadrageſimum diem fanum non intrabant. Cenſorinus n): *In Graecia dies habent quadrageſimos inſignes, namque praegnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum.* Illud vero paene me fugerat monere, fuiſſe etiam *Nixios deos* apud Romanos; quorum ſigna genibus nixa in Capitolio ante cellam Mineruae colebantur, quae M. Acilius Glabrio, ſuperato Syriae rege Antiocho, Populo Romano attulit.

Feſtus

k) voce γαμηλια

l) L. c.

m) Lib. VI.

n) de die natali, c. II.

Feſtus o): *Nixii dii appellantur in Capitolio tria ſigna ante cellam Mineruae, genibus nixa, velut praeſidentes parientium nixibus.* Supplicabant quoque Proſae et Poſtuortae, ne infans in pedes conuerſus prodiret ex vtero matris, quum ille partus periculoſiſſimus haberetur. Varro apud Agellium p): *Quandoque pueri contra naturam forte conuerſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent: aegriuſque tunc mulieres enituntur: huius periculi deprecandi gratia arae ſtatutae ſunt Romae duabus Carmentibus: quarum vna Poſtuorta nominata eſt, Proſa altera; a recti peruerſique partus poteſtate, et nomine.* Macrobius q) Proſam nominat Anteuertam, ſed hoc ἰσοδυναμεῖ, itaque exercere nihil nos debet: aliud vero etiam illis munus aſſignat. Remedia autem etiam quaeſita, vt facilis eſſet partus. Aliquis tectum parturientis tranſmittebat lapide vel miſſili, quo homo, aper, vrſa, ſingulis ictibus eſſent interfecti: vel haſta quoque velitari, euulſa ex hominis corpore, quae terram non tetigiſſet: vel ipſe quoque maritus cinctu ſuo ſoluto, illam cingebat, et iterum ſoluebat, adiecta precatione ſe vinxiſſe eam, et ſoluturum quoque r).

Ne-

o) de verb, ſign,

p) Noct. Attic. Lib. XVI. c. 16.

q) Saturnal. Lib. I. c. 7.

r) Vide Plin. Hiſt. Nat. L. XXVIII. c. 4.

Nefas quoque parturienti aſſidere poplite in alterum genu impoſito, vel digitis pectinatim inter ſe plexis s).

CAP. II.

Deorum beneuolentiae, et pudicitiae maternae, ſigna habebantur, gemellas parere, et ſine dolore, item ſimiles. Puerperae dii cuſtodes tres.

Vidimus quae pro partu, ante partum: nunc ad ea quae in partu, et ab illis fieri ſolita; veniamus. Signum habebatur et beneuolentiae deorum, et pietatis pudicitiaeque puerperae, ſi gemellos peperiſſet. Abunde id docuerit vel vnus Plauti t) locus:

— BRO. *ego faciam, tu idem aliter praedices,*
Amphitruo, piam et pudicam eſſe vxorem tuam vt ſcias.
De ea re ſigna atque argumenta paucis verbis eloquar
Omnium primo Alcumena geminos peperit filios.
AMPH. *Ain'tu, geminos?* BRO. *geminos.*
AMPH. *dii me ſeruant.* BRO. *ſine me dicere.*
Vt ſcias tibi tuaeque vxori deos eſſe omnes propitios.

Quid

s) Vide eumdem libro cit. c. 6.

t) in Amphtr, Act. 5. v. 33. ſqq.

Quid pote clarius? ſodes. Tacitus u): *Soror Germanici Liuia, nupta Druſo, duos virilis ſexus ſimul enixa eſt, quod rarum laetumque etiam modicis penatibus.* Erat et aliud iudicium: puta, ſi ſine dolore, et facilis partus eſſet. Ideoque ſequitur apud Plautum x):

— — vxorem tuam
Neque gementem neque plorantem noſtrum quiſquam audiuimus
Ita profecto ſine dolore peperit. —

Apud Callimachum y) quoque eſt:

— nec pariens vteri nec pondera geſtans
Indoluit mater, nulloque enixa dolore eſt.

Idem apud Theocritum z), in natiuitate Ptolemaei regis:

Adſtitit haec illi facilis, ſenſumque doloris
Omnibus exemit membris. —

Et luculentum quoque exemplum eſt in Plutarchi a) Cicerone: *Ferunt quoque Ciceronem ſine dolore vllo ac labore enixam eſſe matrem.* In ſimilitudine vultus magnum pudicitiae eſſe argumentum exiſtimabatur. Horatius b):

Laudantur ſimili prole puerperae.

Quin-

u) Annal. L. XI.
x) loc. cit. v. 46. ſq.
y) In Hymno in Dianam.
z) Idyll. XVII.
a) ipſo ſtatim principio.
b) Lib. IV. Od. 5. v. 23.

Quintilianus c): *Quae pudicitiae prima fiducia eſt, edidit partum, quem maritus agnoſceret: non timuit ne ſtupra furtiuoſque concubitus paruuli vultus, aut creſcentis infantiae ſimilitudo detegeret.* Nam parentibus diſſimiles illegitimi cenſebantur. Phocylides d):

Non ſimiles natos lectus ducit adulter.

Huc facit iocus Liuiae Auguſti filiae, quae conſciis flagitiorum mirantibus, quomodo ſimiles Agrippae filios pareret, quum tam vulgo poteſtatem ſui corporis faceret, dixit: *Non niſi plena naui tollo vectorem.* Et qui gratiam alicuius captabant, adſpectis liberis, dicebant eſſe patri ſimilimos. Sic ille apud Theophraſtum e): *Et ad coenam vocatus, conuiuii dominum iubebit vocare liberos ſuos, ingreſſoſque magis ſimiles patri dicit, atque ficus ſicui.* Tres autem puerperae dii adhibebantur cuſtodes aduerſus Siluanum. Hi erant, Intercidona, Pilumnus, Deuerra. Atque eius rei ſignificandae cauſa conſtituebantur tres viri, qui noctu aedes circumirent, quorum primus ſecuri limen feriebat, ſecundus pilo, tertius ſcopis deuerreret. Auguſtinus f): *Mulieri foetae poſt partus tres deos cuſtodes commemorat adhiberi, ne Sil-*

c) Declamat. XVIII.

d) Sentent. v. 165.

e) Charact. c. 5.

f) de ciuit. Dei, L. VI. c. 9.

Siluanus deus per noctem ingrediatur et vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, et primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deverrere ſcopis: vt his datis culturae ſignis deus Siluanus prohibeatur intrare.

CAP. III.

Omina futurae magnitudinis vnde capi ſolita.

Omina vero futurae magnitudinis etiam capi ſolita e corporis ſtatura, atquè magnitudine et robore membrorum. Itaquè placebat ſupra modum, ſi magni eſſent infantes nati. Liquet ex Plauto g):

BRO. *Poſtquam peperit, pueros lauare*
iuſſit, nos occepimus.
Sed puer ille, quem ego laui, vt magnus
eſt, et multum valet?

Et profecto non inane omen iſthoc fuit, nam Hercules poſtea maximus exiſtit. Huc pertinent iſta e Truculento eiuſdem Comici h):

AS. *Peperit puerum nimium lepidum.* ST. *ecquid mihi ſimili'ſt.* AS. *rogas*
Quin' vbi natus eſſet iam machaeram et clypeum poſcebat ſibi.
ST. *Meus eſt, ſcio iam de argumentis; nimium quidem ſimili'ſt. papae!*
Iamne magnus eſt? jamne lectat legiones, quas ſpoliare velit?

g) Vide Amphitr. Act. 5. v. 50.
h) Vide Act. 2. Sc. 6. v. 40. ſqq.

CAP. IV.

Infantes nati Genii et Iunonis tutelae tradebantur. In terra ſtatuebantur, captaque auſpicia an Vitales forent, et ſternebatur lectus Pilumno ac Picumno. Suetonius illuſtratus. Referebantur in acta: quod neglectum excitauit iterum M. Aurelius.

Nato infante, ſi maſculus erat, Genio in tutelam tradebatur: ſi de ſequiore ſexu, Iunoni. De Genio apparet ex iſto loco Arnobii [i]: *Toga ſternitis lectulos, et maritorum Genios aduocatis.* Item ex iſto Iuuenalis [k]:

— vetus eſt alienum Poſthume lectum
Concutere, atque ſacri Genium contemnere fulcri.

De Iunone clarum faciet Tibullus [l]:

Haec per ſancta tuae Iunonis numina juro

Et alibi [m]:

Etſi perque ſuos fallax iurauit ocellos,
Iunonemque ſuam. —

Apud

i) Lib. II.

k) Sat. VI.

l) Lib. II.

m) Lib. III. Eleg. 12.

Apud Petronium n) Quartilla: *Iunonem meam iratam habeam.* Item ab obſtetrice in terra ſtatuebatur, auſpicabaturque an rectus ac vitalis foret, et lectus ſternebatur Pilumno ac Picumno. Varro o): *Natus ſi erat ſublatus ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, vt auſpicaretur vitalis ac rectus eſſe; diis coniugalibus Pilumno et Picumno in aedibus lectus ſternebatur.* Hanc *Domeſticam religionem* appellat Suetonius p): *Natalemque geniti nepotis ſilentio, ac tantum domeſtica religione, tranſegit.* Pater autem natos ſibi liberos profitebatur apud praefectos aerarii, qui in acta referebant. Apuleius q): *Pater natum ſibi filium caeterorum more profeſſus eſt.* Scaeuolam r): *Mulier grauida repudiata, abſente marito filium enixa, vt ſpurium in actis profeſſa eſt.* Iuuenalis s).

Nullum ergo meritum eſt ingrate, ac perfide nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, et libris actorum inſpargere gaudes
Argumenta viri — — —

Po-

n) In Satyrico.

o) de vita populi Rom. Lib. XI.

p) in Claudio, c. 12.

q) Apolog. p. 541.

r) Lib. XXVIII. de probation.

s) Sat. XI.

Poſtea neglectius hoc fieri coepit, ſed excitauit M. Aurelius Imperator, iuſſitque intra trigeſimum diem facere. Capitolinus t): *Liberales cauſas ita muniuit, vt primus iuberet apud praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra triceſimum diem, nomine impoſito.*

CAP. V.

Clypei et vanni pro cunis: et cuius rei id auſpicium. Infantes veſperi lauari ſoliti. Lacaenae in clypeis pariebant. Dii infantum curatores. Fabii.

Porro in clypeo infantem, aut in vanno deponebant: hi enim apud Veteres loco cunarum erant. De clypeo eſt fragmentum Ennii apud Nonium u):

Nam vbi introducta eſt, puerumque vt lauerant, locant
In clypeo. — — —

Et apud Theocritum x) eſt inſignis locus:

Vtrumque ablutum, etiam plenum lactis, alieno
Depoſuit clypeo — — —

 Ex

t) in vita Aurelii.

u) de propriet. lat. ſerm.

x) Idyll. XXIV.

Ex quibus locis duobus liquet etiam, ablui ſolitos pueros veſperi, antequam dormituri in cunas reponerentur. De vanno legitur apud Callimachum y):

— *Nemeſis ſopiuit in aureo*
Te vanno. — — —

Etymologici auctor z): *Veteres in vannis liberos ſuos dormire faciebant.* Qui in ventilabris collocabant, in auſpicium futurarum divitiarum id faciebant, vt docet Scholiaſtes vetus a) Callimachi. *In ventilabris olim infantes dormituros collocabant, in futurarum diuitiarum et affluentiae auſpicium.* Qui in clypeo; illis fortitudinis id auſpicium erat. Itaque Hercules in clypeo poſitus legitur, qui poſtea fortitudine omnes antecelluit. Quia et Lacaenae in clypeo pariebant, teſte Nonno b):

— Λακωνίδες οἷα γυναῖκες
Υἱέας ὠδίνουσιν ἐπ' εὐκυκλοῖο βοέιης

Quo autem id voto? niſi hoc ipſo, quod dixi. Et vero nota eſt eorum hominum virtus bellica, et ſymbolum quoque inciſum ſcutis: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τάν. In cunis vero cubantes tutabatur Dea Cunina; quae eo nomine cele·

y) Hymn. in Iouem.

z) ſub hac voce.

a) loc. cit.

b) Dionyſ. XLI.

celebrabatur, vt teſtatur Lactantius c), et Auguſtinus d). Sed et alii dii culti. Vaticanus vagientibus praeerat; Rumina ſugentibus, Statilinus, ſiue Statanus, ſtare incipientibus, Cuba cubantibus, Edulia edentibus, Potina bibentibus. Quae omnia reperiuntur apud Agellium, Auguſtinum, Donatum Terentii interpretem, Lactantium, Nonium Marcellum, Tertullianum. Fabulino quoque ſacra fiebant pro accepta iam voce: nam pueri, vt, quum loqui nondum poſſent, *Infantes* dicebantur: ita, quum inciperent loqui, *Fabii*: atque inde huic Deo nomen. Prius eſt videre apud Varronem e): *Quum primo fari incipiebant, ſacrificabant diuo Fabulino.* Poſterius ex Gloſſario liquet, in quo legitur *Fabia*, παιδίσκη.

CAP. VI.

Puerperae Zonas Dianae conſecrabant, et veſtimenta. Χιτώνη, Ἀμφιδρόμια, δεκάτην θύειν, ἑστιάσαι. *Luſtricus dies. Dea Nundina. Munera Puerperae mitti ſolita.*

Abieram paululum ad partum, nunc ad ipſus puerperas reuertar. Hae a primo partu Zonas ſuas Dianae ſuſpendebant, quae

c) Inſtit. diu. L. I.
d) de ciuit. Dei Lib. IV.
e) de liberis educandis.

et *Λυσιζώνη* ea ex re cognominata. Apollonii Scholiaſtes f): *Soluunt Zonas primum parientes, et conſecrant Dianae; Vnde et Lyſizonae templum Athenis.* Suidas aliique auctores ſunt, ante coitum id fieri conſueuiſſe. Eſt et Agathiae epigramma huc pertinens, quod nos alibi citauimus. Veſtimenta quoque illi dedicabant. Callimachi Scholiaſtes g) docet: *Natis infantibus conſecrant veſtimenta Dianae.* Et ab hac re illa *χιτώνη* nominata. Inde eſt in Inſcriptione antiqua:

VIRGIN. CHITONE. SACRVM.

Quintus dies a partu *ἀμφιδρόμια* dicebatur, et tum infans circa aram curriculo geſtabatur, et purgabant manus ſuas obſtetrices. Docent id nos Grammatici Graeci. Et ſacra quoque faciebant Iunoni *εἰλειθυίῃ* Graeci, Lucinae Romani. Plautus h):

Quia diis ſacrificare hodie pro puero volo,
Quinto die, quod fieri oportet. —

Illudque ſacrificium pluribus deſcribit Scena ſequente ſub finem. Ephippus i):

Οὐ κνίσσα κρούει ῥινὸς ὑπερόχας ἄκρας
Ἀμφιδρομίων ὄντων. —

De-

f) ad Argonaut.

g) Hymno I.

h) In Truculento.

i) In Geryone.

Decimo die amicos conuocabant, ſacrificabant iterum, deinde nomen infanti dabant, poſtremo conuiuium agitabant. Videmus apud Polyaenum k). Ac de conuocatione quidem amicorum, in iſtis verbis: *Et filio, ſibi aliquando nato, quum nomen impoſitum eſſet, conuocatis in Graecia optimatibus, aduocauit etiam fratrem, vt ſuſceptioni adſiſteret.* De ſacrificio et conuiuio in ſequentibus l): *Feſtinus ad coenam rediit, et fratri libationem incipere, ac puero imponere nomen permiſit.* Suidâs m) pleniſſime: *Mos eſt Athenienſibus, natis liberis, decima a natiuitate nocte conuocare agnatos et cognatos, ac ſanguine proximos; iiſque praeſentibus et nomina dare infantibus, et ſacrificare diis, poſtremoque conuiuium agitare.* Conuiuium legimus etiam apud Capitolinum n): *Hora conuiuii, quod celebritati pueri deputabantur, quum ei fierent nomina, ſeptem aquilae paruulae de nido allatae ſunt.* Apponi vero illic apud Graecos quidem ſolita fruſta caſei Cherſonitae aſſi, braſſica item in oleo cocta, columbae, turdi, carclueles, ſaepiolae, loligines ac polypi, bibebanturque calices meraciores o). Sacrificium

 vero

k) Stratag. Lib. VI.

l) Ibid.

m) in Lex.

n) In Albino.

o) Vide Ephippi verſus apud Athen. L. II. et IX.

vero illud, vt et conuiuium δεκάτη appellabatur, et parentes, conuiuium quum exhiberent δεκάτην ἑστιᾶσαι, quum ſacrificarent, δεκάτην θύειν dicebantur. Ariſtophanes p):

Οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτην ἐγώ;
Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην.

Conſtat quoque ex Harpocratione, Heſychio, Suida, Auctore Prouerbiorum, Ariſtophanis Scholiaſte, et aliis. Nec decimo tantum die ſemper nomina inpoſita, ſed etiam ſeptimo aliquando. Harpocration q): Τοῖς ἀποτεχθεῖσι παιδίοις τὰς ἑβδομάδας, καὶ τὰς δεκάτας ἦγον, καὶ τάγε ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς οἱ μὲν τῇ ἑβδόμῃ, ὡς καὶ ὁ ῥήτωρ λέγει· οἱ δ' τῇ δεκάτῃ. De ſeptimo rationem reddit Ariſtoteles r). Porro quinto munera quoque puerperae mittebant conſanguinei. Auctor Proverbiorum s): *Et munera mittunt conſanguinei vt plurimum polypos ac ſepias.* Scilicet, quia horum vſus in iſto conuiuio, vt jam ex Ephippo docui. Plautus t):

PH. *Quia dies ſacrificare hodie pro puero volo,*
Quinto die quod fieri oportet. DI. *Cenſeo*
PH. *Non audes aliquod mihi dare munuſculum.*

Aeſchy-

p) Auibus.
q) in Lex.
r) de animalibus, Lib. IX.
s) in deſcriptione Amphitromiorum.
t) Truculento.

Aeſchylus u) quoque primis Eumenidibus γενέθλιον δόσιν nominat. Et eſt clarus apud Terentium x):

— porro autem Geta feriens
Alio munere, vbi hera pepererit.

Nominis autem dies apud Romanos *Luſtricus* appellabatur; Tertullianus vocat *Nominalia.* Atque is maribus nonus, feminis octauus ſtatuebatur, teſtibus Feſto, Macrobio, Plutarcho y). Et huic praeerat Dea Nundina, teſte Macrobio z).

CAP. VII.

Virga populea depangi ſolita. Palma a parturientibus tacta. Coronae in foribus ſuſpenſae. Braſſica puerperis data. Earum aedes intrare ſuperſtitioſiores nolebant. Diogenes Laertius emendatus. Iuſtum puerperii tempus, et eo exacto feſtum τεσσαρακοςόν.

Moris erat in Italia populeam virgam defigere in ſolo. Donatus a): *Virga populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta ita breui coaluit, vt multo ante ſatas*

u) primis Eumenidibus.

x) Phorm. Act. I. Sc. 1.

y) Tertullian. de idolol. c. 16.

z) Saturnal. L. I. c. 16.

a) In vita Virgilii.

Cenſorinus l): *In Graecia dies habent quadrageſimos inſignes: namque praegnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum, et poſt partum quadraginta diebus pleraeque foetae grauiores ſunt, nec ſanguinem interdum continent: et paruuli ferme per hos dies morbidi ſine riſu nec ſine periculo ſunt: ob quam cauſam, quum is dies praeterierit, diem feſtum ſolent agitare, quod tempus appellant* τεσσαρακοςόν.

l) de die natali, c. 11.

II.

HISTORIA

MONSTROSAE PARTIVM GENITALIVM

CONFORMATIONIS

IN ADVLESCENTE

ANIMADVERSIONIBVS ILLVSTRATA

AB

IOH. GEORGIO FRIDERICO FRANZIO.

I.

HISTORIA MONSTROSAE CONFORMATIONIS PARTIVM GENITALIVM IN ADVLESCENTE.

Superiore anno menſe Auguſto exeunte áceſſit ad nos aduleſcens, decimum et quartum aetatis agens annum, robuſti, et vti videbatur, ſani et integri corporis, natus Coloniae Agrippinae, patre ſpirituum ibi ardentium coctore, educatus vero ab auia Amſtelodami, et commendatus a C. F. Schvberto, V. Cl. et artis ſalutaris doctore, qui Penigii ſumma cum laude artem ſuam exercet, ad Experientiſſimum atque Celeberrimum noſtrum C. C. Kravsivm, M. D. et P. P. qui pro ſua, qua pollet prorſus ſingulari humanitate, non ſolum hunc beneuole excepit aduleſcentem, ſed etiam aliis medicis et artis ſalutaris ſtudioſis eius videndi copiam fecit, vt conformationem illam rariorem videant et diſquiſitioni exactae ac examini ſubmittant paulo curatiori. Ego quoque facultate illius videndi mihi conceſſa, ante omnia ab illo ſciſcitaui, an hiſtoria huius admirandae conformatio-

tio-

tionis a quodam viro docto ſit litteris mandata atque prelo ſubmiſſa? Se habere quidem talem deſcriptionem a docto medico conſignatam litteris, aliis enim in vrbibus atque academiis erat quoque commoratus, dixit; verum illam ſibi non eſſe ad manus, tranſmiſſuram vero ipſam ab amico ſibi eſſe propediem, et ſe eſſe curaturum, vt etiam exemplum perueniat ad manus meas. Verum enim vero non ſtetit ille promiſſis, et ambiguum me reddidit de hiſtoria typis exſcripta, quum neque mihi aliunde innotuerit, neque ab aliis ſit viſa. Quum autem hanc hiſtoriam additis animaduerſionibus cum eruditis communicare viris mihi ſumſerim, e re mea potius eſſe arbitratus ſum proferre ea, quae ſentiam, non quae alii dixerint. Sed miſſis omnibus ambagibus commemoranda ſunt, quae ipſi vidimus. Itaque primum abdomen perluſtrauimus omni prorſus deſtitutum vmbilico, ne ſignum quidem exiguum ibi apparuit, ex quo ipſum vere adfuiſſe colligere nobis liceret. In regione hypogaſtrica, perquirentibus nobis externam eius conditionem, ſeſe primum obtulit excreſcentia carnoſa atque fungoſa, farciminis formam toſti et vi ignis diſrupti prae ſe ferens, rubicundi coloris et communibus integumentis orbati, oui gallinacei magnitudinem paene aequans. In vnoquoque huius excreſcentiae latere, verſus inguina, duo parua foramina erant conſpicua,

ex

ex quibus guttulae vrinae perpetuo exſtillabant in vaſculum ex aurichalco confectum, quod munditiei cauſa, ne induſia madefierent, atque putreſcerent, et tetrum ſpargerent odorem, filis largioribus appenſum in braccis geſtare ſolebat. Haec foramina ibi erant, vbi in ſtatu naturali veſica vrinaria eſt. In illa regione, vbi penis protenditur, corpuſculum emergebat erectum penis forma minuta praeditum, vnius et dimidii pollicis tranſverſi longum, in ſuperiore parte glandem praeputio non tectam, et foramine pro emittenda vrina plane deſtitutam, habens; ſcrotum ipſum legitimam habere videbatur magnitudinem, erat tamen pendulum; et quoties illud vidi, toties ita comparatum eſſe deprehendi, vt ex eo colligam nullam ibi fieri adſtrictionem. Caeterae partes nihil mihi conſpiciendum praebuere, quod a legibus naturae receſſit.

II.

ANIMADVERSIONES.

RECENSIO CAVSARVM EIVSMODI MONSTROSAE CONFORMATIONIS.

Antequam cauſas principes huius monſtroſae conformationis commemoremus, noſtrarum partium eſſe ducimus rationem reddere, quamnam ob cauſam hanc conforma-

tionem appellare monſtroſam nobis libuerit, ſunt enim qui dicant, illam potius ad luſus naturae, quam ad monſtra eſſe referendam. Ex his difficultatum tricis atque dubitationum labyrintho facile nos expedire poterimus, ſi inquiramus in veram monſtri in vniuerſum naturam, miſſis omnibus illis ſubtilitatibus ac tricis a male ſedulis hominibus ingenioſe excogitatis, differentiam ſiquidem intercedere exiſtimantibus inter monſtra, prodigia, oſtenta atque portenta, quae, niſi egregie fallimur, ſub communi notione monſtrorum ſimul comprehenſa eſſe, res ipſa loquitur. Neque ab iis diſſentio penitus, qui cum T. Gvindantio a) ſtatuunt monſtra quam maxime conuenire cum vegetabilibus, in quibus deprehendantur varietatum ſpecies, atque eumdem ferme in modum in genere humano varias eſſe ſpecies atque proprias varietates: ſi modo in eo conueniamus; res plane confecta eſſe videtur, quid per monſtra intelligamus; ſi enim ea corpora in regno animali monſtroſa appellamus, quae ex aberrante natura a legibus atque regulis naturae eiuſque ordine producta ſunt, et in quibus prae-

a) In Expoſition des variations de la nature dans l'eſpece humaine, ou l'on demande, ſi poſées les loix naturelles les plus générales ſur lesquelles portent l'ordre et l'harmonie du corps humain, la nature peut quelquefois ſ'en écarter, à Paris, 1771. p. 5. ſqq.

praeter naturam partes b) aliam habent conformationem, ſitumque, aut in quibus exceſſus partium peccat, aut defectus, earumque tranſpoſitio, tantummodo in verbis differentia, in re ipſa conuenientia eſſe maxima videtur. Attamen monſtrorum conformationis cauſae omnibus temporibus mirum in modum phyſiologorum exercuerunt ingenia, atque multas eaſque diſcordes peperunt ſententias, quarum haud paucae non quidem e cerebro Jouis vti Minerua proſiliere, ſed tamquam monſtra ex hac animi ſede excluſa ſunt. Omnes illas opiniones et coniecturas commemorare a noſtro conſilio nimis alienum, atque longiſſime remotum eſſe ducimus; eas tantum proferre placet, quae veritati proxime accedunt, et rei noſtrae illuſtrandae inſeruire quodammodo poſſunt. In vniuerſum autem hae cauſae ad duo poſſunt referri genera, quorum alterum complectitur cauſam *primigeniam*, alterum cauſas ex caſu fortuito profectas, quas GVALT. VAN DOEVEREN c) ac-

d) Vide Conſiderations ſur les corps organiſés, ou l'on traite de leur origine, de leur developpement, de leur reproduction etc. et ou l'on a raſſemblé tout ce, que l'hiſtoire naturelle offre de plus certain et de plus intereſſant ſur ce ſujet par C. Bonnet, Amſterd. 1762. Tom. II. p. 286. ſq.

c) Vide ſpecimen obſeruationum academicarum, ad monſtrorum hiſtoriam, anatomen, patho-

accidentales appellat. Primigeniam cauſam, quam tanquam veram ac euidentem probat, omnibuſque praeſert reliquis cauſis Alb. v. Haller d), eamque egregiis ex anatomica eorum diſquiſitione depromtis argumentis firmat atque illuſtrat, in fabrica, ab ordine naturae recedente et plane aliena, et in prima partium delineatione eſſe collocandam libenter concedimus, atque exiſtimamus, monſtroſum germen in ouulo iam exiſtere, quod augetur ſeſe magis magiſque euoluendo, nouis partibus nutritione et circulatione adiectis e), et ſtimulo a liquore ſpermatico producto, quippe qui intrans in germen, atque dilatans organa circulationis, illam auget; germen autem nanciſcitur poſt fecundationem gelatinoſam indolem et ſingularem partium ſolidarum naturam hucuſque non ſatis cognitam, quibus monſtroſa conformatio fingitur et ſucceſſiue increſcit. Verum etiam ſeminalis liquor aliquid ad monſtroſam conformationem conferre, ideoque pro cauſa haberi poteſt, quippe cuius particulae nutrientes quum diuerſae eſſe deprehendantur, etiam

pathologiam et artem obſtetriciam praecipue ſpectantium, p. 49. ſqq.

d) Vide Eius operum anatomici argumenti Tom. III. in libris duobus de monſtris, ſtatim ab initio.

e) Vide Bonnet Lib. cit. p. 22. ſqq.

etiam diuerſimode germen ipſum afficiunt f), quod ex ſimili effectu colligitur, ſiquidem venerea lue infectum ſemen etiam inficit germen atque prauam efficit conformationem. Caſu porro fortuito mechanica quaedam cauſa, et violenta, compreſſio, coalitus, vel ſimile quid monſtris procreandis fauere ſolet, quod vberius declarauit aduerſus Winſlowium Gavtierivs g): quibus accedit ſucci nutritii in hanc illamue partem largius vel parcius affluentis abundantia, vnde et in defectu aberrat natura a regula ordineque legibus conſtituto aeque ac in exceſſu. Neque diſpoſitio fibrarum eſt omittenda, quae magis flecti in quodam loco poſſunt, in alio eſſe ſolent rigidiores, ideoque ſucci nutritii appoſitioni magis vel minus fauent h); quamquam et multum ex quorumdam ſententia imaginationi matris ſit tribuendum, quae; etſi impugnata ſit a quamplurimus, nondum penitus ſubuerſa eſſe intelligitur. Innumerae his addi poſſent cauſae i) generandis monſtris aptae atque

f) Idem Libr. laud. p. 71. ſqq.

g) In obſeruations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la phyſique, et ſur la peinture Partie XIII. obſ. 3.

h) Vide Phil Iac. Schlotterbeccii ſchediaſma botanicum de monſtris plautarum, quo analogiam regno vegetabili cum animali intercedere docet, p. 11. ſqq.

i) Sic Ioh. Iac. Waldſchmidt in diſſ. de cauſa partus monſtroſi, fermentationem formationi fetus non

atque conuenientes, verum ne videamur nimis verboſi in rebus eſſe leuiſſimis, eas relinquimus, atque potius addimus, nos non definire poſſe proprias cauſas, quae aduleſcentis Noſtri partes genitales iuſſerunt eſſe monſtroſas. Probabili ſaltem ratione atque euidenti hoc tuto poſſumus aſſerere, primariam cauſam haud dubie ſucci nutritii defectum fuiſſe, qui multas ob cauſas ad has partes non eſt delatus, neque ob tubulorum et canalium aeque ac glandularum obſtructionem deferri potuit; cui aliae alio tempore, anatomica inſpectione facta, certioreſque adiungendae erunt.

MODVS NVTRITIONIS IN VTERO ABSENTE VMBILICO DECLARATVS.

Abſentia autem vmbilici, qui neque vetuſtate obliteratur, neque eodem abeſſe ſolet modo, quo in primis vere abfuit parentibus noſtris k), quippe qui ex illa abſentia intelligebant atque perſpiciebant, ſe non eodem modo, vt reliqui homines, fuiſſe prognatos, ſed a ſummo numine creatos; non ſolum nos inſtruit praeter naturae ordinem hunc aduleſcen-

non proportionatam, imaginationem matris, terrorem inſignem aliaſque profert.

k) Sigillatim hoc probauit pluribus argumentis Reinhardus, in libello: *Beweis, daß Adam und Eua keinen Nabel gehabt haben.*

leſcentem abſque vmbilico prodiiſſe in lucem; cuius rei etiam proſtant exempla, ſed etiam nos quaſi manu ducit ad obſeruationes et coniecturas neque prorſus inutiles, neque penitus gratia deſtitutas, atque contemnendas l). Per vmbilicum enim nutritionem fetus in vtero materno fieri aeque ac ſanguinis circuitum, et antiqui medici affirmant, et quamplurimi recentiorum mirifice cum iis conſentiunt, atque confirmant antiquam medicinam cum recentiori eſſe coniungendam arctiſſime. Age quaeſo patronos ac defenſores huius ſententiae prodire iubeamus, atque eorum verba apponamus. Hippocrates m) enim per vmbili-

l) Fetus viuos et perfectos nonnunquam nullum habuiſſe vmbilicum C. Stalpart van der Wiel in obſſ. p. 327. argumentis firmauit, et Chatton, chirurgus Gallus, in Journal des Savans, a. 1673. p. 79. exempla attulit fetuum funiculo vmbilicali deſtitutorum, et Cl. Iaſtelier in Iournal de Médecine T. XXXIX. p. 27. alios vt ſilentio praeteream.

m) Περὶ τροφῆς Sect. IV. p. 51. ἀρχὴ τροφῆς καὶ ὑγρῆς καὶ ξηρῆς, στόμα, στόμαχος, κοιλίη. Ἡ δὲ ἀρχαιοτέρη τροφὴ, διὰ τοῦ ἐπιγαστρίου, ὀμφαλός. *Principes partes alimento aſſumendo ſunt os, gula, venter: verum antiquius alimentum, per abdomen vmbilicus.* Et περὶ ὀκταμήνου Sect. III. p. 40.: ὁ δὲ ὀμφαλὸς, δι᾽ οὗ αἱ εἴσοδοί εἰσι τοῖς παιδίοισι,

bilicum vtero adhaerentem et, nutritionem, et aeque ac ſpirituum ingreſſum, fieri ſtatuit. Ariſtoteles n) eamdem opinionem prodit, atque modum, quo illa perficitur, deſcribit vberius o). Suffragantur his duumuiris Stoi-

οισι μοῦνον τοῦ σώματος τῇ μήτρῃ προσέρχεται. Διὰ τουτέων καὶ κοινωνεῖ τῶν ἐσιόντων. *At vero vmbilicus, per quem alimenti ac ſpiritus ingreſſus pueris contingunt, ſolus ex omni corpore vtero adhaeret, et per hunc eorum, quae ingrediuntur, fit particeps.*

n) Hiſt. animal. VII. 8. Αὐξάνεται τὰ ζῶα πάντα, ὅσα ἔχει ὀμφαλὸν, διὰ τοῦ ὀμφαλοῦ. *Incrementa capiunt omnia animalia, quibus eſt vmbilicus, per vmbilicum.*

o) De gener. anim. II. 4. Ἔςι γὰρ ὁ ὀμφαλὸς φλὲψ, τοῖς μὲν μία, τοῖς δὲ πλείους. Αἱ δὲ φλέβες, οἷον ῥίζαι, πρὸ τὴν ὑςέραν συνάπτουσι, δι' ἂν λαμβάνει τὸ κύημα τροφήν. Ἡ μὲν οὖν αὔξησις τῷ κυήματι γίνεται διὰ τοῦ ὀμφαλοῦ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ διὰ τῶν ῥιζῶν τοῖς φυτοῖς. *Vmbilicus vena in aliis ſimplex, in aliis multiplex eſt; quae quaſi radices ad vterum contingunt, per quas alimentum habet fetus; nam incrementum fetui per vmbilicum contingit, eodem, quo plantis modo, per radices.*

Stoici p), Galenus q) cum vniuerſa Galenicorum Ariſtotelicorumque cohorte, omnibuſque Arabum medicis. Noſtris vero temporibus his ſubſcripſerunt atque addiderunt calculum magni nominis medici, quos nominaremus, niſi nobis otium feciſſent Georgius Auguſtus Langguthius r), Iohannes Chriſt. Themelius s), Andreas Nunnius t), Iohannes Herm. Vogelius u), alii, qui hiſtoriam huius ſententiae fuſius atque elegantiſſime tradiderunt. Veram etiam viam ſunt proſequuti, qua ſanguis nutriens corpuſculum embryonis ſolet permeare.

p) Plutarch. de plac. phil. V. 16. *Οἱ Στωϊκοὶ διὰ τοῦ χορίου, καὶ τοῦ ὀμφαλοῦ. Ὅθεν τοῦτον εὐθέως ἀποδεῖν τὰς μαιουμένας, καὶ ἀνευρύνειν τὸ στόμα, ἵνα γένηται ἡ μελέτη τῆς τροφῆς ἑτέρα. Stoici fetum in vtero per vmbilicum ali aiunt, itaque hunc ſtatim ab obſtetricibus a partu ligari, et os infanti aperiri, vt de alio cogitet alimento.*

q) Vide L. de form. fetus tot.

r) De nutritione fetus per ſolum vmbilicum.

s) In comment. qua nutritionem fetus in vtero per vaſa vmbilicalia ſolum fieri docet.

t) Diſſ. qua euerſa vaſorum rubrorum vteri anaſtomoſi ſaniorem nutritionis fetus modum et mechaniſmum declarat.

u) In diſſ. quod fetus in vtero non liquore amnii ſed ſanguine per venam vmbilicalem aduecto nutriatur.

Vteri nimirum arteriolae extremae per villoſam placentae tunicam humorem gelatinoſum excipiunt, atque eum ibi carminatum ad hepar embryonis per venam ferunt vmbilicalem; dein per canalem venoſum et venae portarum ramos ad venam cauam inferiorem, dextram cordis auriculam atque ventriculum anteriorem is tranſit, ex quibus per foramen ouale in ſiniſtram cordis auriculam ac ventriculum poſteriorem, aeque ac ex arteria pulmonali per canalem arterioſum Botalli, in aortam, ac poſtea per huius ramos per omnes corporis partes tranſuehitur x). Sanguinis tandem pars, in nutritionem non conuerſa ex arteriis iliacis, vel ipſa aortae inferioris extremitate per arterias vmbilicales placentae, huiuſque ſerum copioſum matri redditur y). Haec breuiter commemoranda erant eum potiſſimum in finem, vt eo melius declarari poſſet

a

x) Vide l'Hiſtoire de l'Academie R. des Sciences 1753. p. 173. ſur le cours du ſang dans le foie du fetus humain, et Mémoires p. 487. et M. Lieutaud deſcription des oreillettes du coeur, du trou ouale et du canal arteriel dans les Mémoires de l'Acad. R. des Scienc. 1754. p. 560.

y) Vide les Mémoires de l'Acad. R. des Sc. 1725 p. 34. et p. 371. l'Hiſtoire de l'Acad. 1739. p. 4. Mémoires, 1739. p. 39. ſur le trou ouale, et p. 128. l'Hiſtoire 1765. p. 41. et Mémoires p. 54. et p. 159. ſur la circulation du ſang dans le foie du fetus.

a nobis, quam ſibi natura aberrans elegerit viam in nutriendo corpore embryonis illius, qui in lucem deinceps editus reliquorum hominum more adoleuit, atque cepit incrementa. Antequam vero modum nutriendi in vtero declaremus, quaeſtio eſt diſcutienda, an videlicet partes male conformatae, in vtero degente fetu, eamdem habuerint figuram, formam atque ſitum; quam poſt excluſionem, et an in vtero deſuerit etiam vmbilicus, eiuſque cum funiculo vmbilicali communio? Quam quidem quaeſtionem vt proponam, auctoritate Abrah. Kaw Boerhaauii z) fui excitatus, exiſtimantis reſpiratione incipiente, nouas produci in corpore humano mutationes, ex quibus poſſit ſatis tuto colligi, partes quaſdam male conſormatas poſt reſpirationem aliam quodammodo aſſumere ſolere figuram aeque ac ſitum. Quod quidem concedimus eo lubentius, quo magis perſuaſi ſumus, tales mutationes fieri; ſed quum eae ſint propriae ac peculiares, inde non ad communes et vniuerſas colligere licet. Neque poſſumus largiri vmbilicum in noſtro exemplo olim cum funiculo vmbilicali in vtero materno cohaeſiſſe, et ſeceſſiſſe demum eo abrupto, quod interdum fit, et exemplis com-

z) Vide Eius Hiſtoriam anatomicam infantis, cuius pars corporis inferior monſtroſa, et hiſtoriam alteram anatom. infantis, p. 87. ſqq.

comprobari poteſt; quum nullum indicium et ne minima quidem cicatrix conſpiciatur. Itaque ſalua eſt res noſtra, ideoque promiſſis ſtare debemus atque explicare, qua ratione primum nutritus fuerit embryo in vtero, et deinde quomodo circuitus ſanguinis fieri potuerit. Ad nutritionem quod attinet, illam abſente vmbilico factam eſſe modo prorſus ſingulari, vt ſtatuamus, neceſſe eſt. Igitur Ioh. Georgii Roedereri a) ſententiae accedimus propius, qui in eiuſmodi monſtroſis conformationibus, quibus ipſa nutritio, omnis humorum circuitus atque ſecretiones turbantur vniuerſae, arbitratur admittendam eſſe quandam horum fetuum cum plantis, quas paraſiticas vocant, in alia creſcentibus planta, ſimilitudinem, indeque peculiarem cenſet monſtrorum fieri poſſe claſſem, quae quum corde careant atque ex matre ſola viuant, appellat monſtra paraſitica, ad quae illa quoque referenda eſſe, neque iniuria, exiſtimauerim abſente vmbilico in lucem edita, quippe qui in vtero materno cordis infantis ſuſtinet vices, atque circuitum ſanguinis et humorum fieri iubet. Nondum tamen res videtur eſſe confecta, fingamus enim omnia ſic ſe recte habere, atque paraſitica monſtra ex ſola viuere matre,

a) Vide Comment. Societ. Reg. ſcientiarum Gottingenſis Tom. IV. ad an. 1754. ibique Roedereri fetus paraſitici deſcriptionem p. 113. ſeqq.

matre, tamen modus eſt clarius paulo exponendus. Spem tamen concipio certiſſimam me excuſatione magis quam reprehenſione dignum fore, ſi in rebus praeter naturae ordinem productis etiam ad alias cauſas a communibus, propriis et vſitatis recedentes, atque remotas confugiam, quae tamen nequaquam legis naturam ac vim habent, ſed de quibus Grammaticorum *excipiuntur* valet. Fauere atque patrocinari meae explicationi de ratione nutritionis embryonis abſente vtero Democriti atque Epicuri ſententia videtur, quam quidem in infantibus nulla labe et monſtroſa conformatione notatis non admittendam cenſeo, ſed tantummodo in exemplis rarioribus atque inuſitatis. Fuerunt autem hi philoſophi perſuaſi b) *fetum in vtero per os ali, itaque ſtatim, atque natus ſit, ore ad mammam ferri; nam et in vtero eſſe vbera quaedam et oſcula, quibus alatur.* Anatomica vteri diſquiſitio et menſtrui ſanguinis fluxus nos minime dubitare ſinunt, dari eiuſmodi venarum oſcula, quae iubente neceſſitate ore appetere atque

b) Vide Plutarch. de placit. Philoſ. V. 16. Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, τὸ ἔμβρυον ἐν τῇ μήτρᾳ διὰ τοῦ ϛόματος τρέφεσθαι. Ὅθεν εὐθέως γεννηθὲν ἐπὶ τὸν μαϛὸν φέρεται τῷ ϛόματι. Εἶναι γὰρ ἐν τῇ μήτρᾳ θηλάς τινας καὶ ϛόματα, δι᾽ ὧν τρέφονται.

atque ſugere cogitur embryo, atque vitae ſuae corporique conſulere optime. Vt magis noſtrae ſententiae pateat veritas, conſideremus paululum ſubſtantiam vteri ſinuoſam et celluloſam, vaſis copioſiſſimis a ſpermaticis, hypogaſtricis et haemorrhoidalibus accedentibus, inſtructam, quae ramulis inter ſe communicant, et multiplici anaſtomoſi coniuncta ſunt, et per quae tanquam per tot riuulos, ſanguis ad vterum confluit, ductuſque illius tortuoſos et ſerpentinos permeat, ſenſimque ſinus eorum dilatat, et orificia extremitatum vaſculoſarum in cauitate eius patentia magis aperit. Ex his extremitates vaſculoſae externae ouuli, membranae chorii, ſeſe explicando et ſenſim inſinuando, nutrimentum ex vtero ad fetum ducunt. Haec ex ordine fiunt, ſed illa orificia, quae oblique membranam vteri internam pertundunt et ſub ea hiant, etiam in vterum ipſum humorem aliquem immittunt, quem ore applicato infans excipere poteſt c) ordinaria nutritionis via praecluſa. Igitur haec coniectura veritati proxime accedere videtur, et ſic nutritum fuiſſe aduleſcentem illum

c) Non adeo remotum eſt ab hac opinione, quod de quibuſdam litteris mandauit Ariſtoteles, credentibus ali infantes in vtero ſugendo carunculam quamdam, de gener. anim. II. 7. Οἱ δὲ λέγοντες τρέφεσθαι τὰ παιδία ἐν ταῖς ὑστέραις, διὰ τοῦ σαρκιδιόν τι βδάλλειν, οὐκ ὀρθῶς λέγουσιν.

illum in vtero ſtatuere poſſumus. Verum alia ſuperſunt argumenta, cauſae noſtrae non ſolum non aduerſa, ſed etiam conuenientia. Alcmaeonis placitum in noſtras trahere liceat partes, exiſtimantis: *fetum in vtero per totum corpus ali, hocque ſpongiae in modum quae alendo ſint idonea recipere* d). Quod quidem hac ſub conditione admittimus, vt illa ratio nutriendi tantummodo locum inueniat, ſi altera naturalis per vmbilicum fieri nequeat. Noſtrum enim corpus multis poris eſſe praeditum, atque per illos recipere particulas exhalatas reſorbendo negari non poteſt; quum ſudore madefacta lintea in corpore ipſo ſiccari videamus, et praeterea corpus noſtrum in vſu balneorum aquoſis particulis impraegnari intelligamus, vt, ſi libra examinetur, grauius factum eſſe perſpiciatur, et ſtaticae Sanctorii medicinae veritas firmetur. Talis autem reſorptio eo melius in tenello infante fieri poteſt, quo magis integumenta communia poroſa, atque adeo ſtamina et initia tantum adeſſe ſolent. Suffragatur vero etiam nobis ſuo calculo atque auctoritate V. Cl. Ioh. Fridr. Hen-

d) Plutarch. de plac. phil. V. 16. ᾿Αλκμαίων δί ὅλου τοῦ σώματος τρέφεσθαι. ᾿Αναλάμβανειν γὰρ αὐτῷ, ὥσπερ σπογγιὰν, τὰ ἀπὸ τῆς τροφῆς θρεπτικά.

Henkel e), quippe qui fetum monſtroſum ex vtero parturientis extraxit, alio iam mortuo edito, qui acephalus fuit, et placenta integumentis et funiculo vmbilicali penitus deſtitutus, quemque ſola liquoris amnii reſorptione nutritum fuiſſe prodidit. Prouocat vero ſimul ad exempla ſimilia, quae a Cl. Sue et Leureto litteris fuerunt mandata, atque obſervationibus elegantiſſimis illuſtrata. Tandem et ex liquore amnii per os potuiſſe Noſtrum alimenta aſſumere in vtero materno videtur; quia haec via ſemper quam maxime patens in omnibus fetibus eſt reperta f), ſed etiam ita comparati quidam fetus in vtero ſunt inventi, vt ex ſolo liquore amnii nutritos eſſe illos appareat g). Vnde recte colligit Hal-

e) In den neuen mediciniſchen und chirurgiſchen Anmerkungen 1 Samml. p. 60. ſqq.

f) Vide Halleri praelect. in Boerhaav. T. V. P. 2. p. 355. ſqq.

g) Cf. Heiſter anatom. T. II. p. 87. N. 37. qui ſic ſcribit: fetum per os etiam nutriri, praeter alia ſingularis caſus, quem bis, multis ſtudioſis medicinae praeſentibus Altdorfii obſervaui, extra dubium ponere videtur. Accepi nimirum aliquando fetum vaccinum perfectum, vtero et membranis ſuis adhuc incluſum, tempore hiemali frigido: vbi non ſolum liquor amnii, qui fetum ambit, conglaciatus erat; verum idem liquor conglaciatus poros, totum oeſophagum, et ventriculum, tan-

Hallerus h) fieri non poſſe, quin ope huius liquoris alatur infans, qui praeter haec omnibus

tanquam vnum continuum corpus, digiti circiter craſſitudine, in oeſophago reperiebatur: quod ipſum deinde alia hieme iterum mihi videre contigit: ita, vt liquoris huius, fetum ambientis, cum eo, qui in ventriculo eius reperitur, communicatio inde ſit manifeſta. Neque veriſimide eſt, tantam illius liquoris copiam, quanta in ventriculo fetus perfecti plerumque reperitur, in hoc omnem ſecerni, ſicut nonnulli exiſtimant; ſed aliunde potius eum prouenire credo: praeſertim quum omnibus illis qualitatibus donatus ſit, quas ille habet extra fetum, cui innatat. Sic quoque ſe res habuit cum fetu Petiti, nodulo in medio vmbilici praedito v. Hiſtoire acad. Reg. 1718. p 40. et in Exemplo Bellingeri Angli, quod nutritum fuit ex glandula thymo per os, v. Tract. eius de fetu nutrito. p. 6. Et Pol. Schacherus in diſſ. de deglut. p. 14. Vidi in cane grauida, vtero inciſo, chorioque blanditer diſſecto, amnio tamen cum incluſo humore integro manente, in tribus quatuorue fetibus, eos non tantum os modo aperire, modo claudere, verum etiam nunc linguam retrahere, nunc vero eamdem rurſus palato firmiter applicare, eodem tempore circumfluum amnii liquorem ore aperto, et lingua depreſſa, ſeſe in faucium iſthmum inſinuare, eumdemque, lingua, palatum verſus eleuata, per gulam ad ventriculum vrgeri, hinc faucibus et abdomine leniter compreſſo, eiuſdem cum liquore conſociali, naturae humorem, ex ore tenelli profluere.

h) loc. cit. p. 356. Si ergo os apertum eſt in fetu, et in liquore natat, et liquor copio-

 ſus

bus qualitatibus gaudet, quae vllo modo nutriendo corpori inſeruiunt. Boerhaauium i) ſuper hac re audiamus: *Liquor amnii numquam deficit, ergo perpetuo ſuppeditatur; numquam foetet, ergo ſemper recens aduenit; eſtque verus nutritius humor, qui a maternis arteriis, per earum propriam fabricam elaboratus, recipitur in bibulas fiſtulas chorii, amnii, in cauum oui, vt in eo ipſo humore fetus natet. Sapor eius blandus, dulcis, ſubſalſus eſt; in cochleare igni expoſitus concreſcit: lentius tamen, quam albumen oui, aut ſanguinis ſerum, cui proxime accedit, aut albumini cum aqua concuſſo. Duplex ipſi vtilitas eſt, continere fetum et alere.* Licet qnidem non in vniuerſum ſubſcribamus his verbis, nam credimus fetus nutritionem legitime fieri per vmbilicum, tamen exinde hoc colligimus; neceſſitate ſic iubente etiam liquorem amnii alere. Sed oggannjunt nobis quidam, liquorem amnii, qui ſua ceteroquin non eſt defraudandus vtilitate, ob multas impuritates, quibus ſcatet, nutritioni prorſus eſſe ineptum; ſed haec nos non feriunt, quum ſciamus multos humores eſſe impuros, et nihilo tamen ſecius etiam particulis nutrientibus refertos, quidni et tales etiam ineſſe liquori am-

ſus et liquor copioſus ſimiliſque in ventriculo reperitur et demonſtratum eſt, preſſu ſubire, quidni is liquor ſit ex amnio? Et ſi ventriculum ſubit, quid aliud facit, niſi nutrit?

i) In prael. acad. l. c. p. 345.

amnii ſtatuamus, quas ſigillatim, ſelectum quaſi faciendo, in ſuccum et ſanguinem embryo ſtudeat conuertere? Nunc accedimus ad circuitum ſanguinis, qui deficiente vmbilico in fetu etiam alio fiéri debuit modo. Neque negamus arteriarum venarumque directionem aliam in monſtris eſſe poſſe, quam in naturali fetu, eamque re ipſa eſſe, multae monſtrorum ſectiones declararunt; atque quamplurima huius aberrationis exſtant exempla k); ſed de hac re tantummodo anatomica ſectio nos reddit certiores. Igitur parum hanc curamus, potius de modo circuitus ſanguinis declarando ſolliciti, libere et ingenue proponemus, quid de hoc nobis videatur. Illum nimirum a triplici cauſa factum eſſe arbitramur, primum quidem a cordis contractione et diſtenſione, ita producta, vti in natis infantibus fieri conſueuit, in quibus vena vmbilicalis, canalis venoſus et maxima arteriarum vmbilicalium pars, quoniam earum ceſſat vſus, ligamenti naturam aſſumunt. Deinde vero vi vaſorum ipſi aliquid tribuendum eſt, quippe quae maior in Noſtro fuiſſe, cenſenda eſt, atque quaſi concentrata ob vmbilici vaſorumque vmbilicalium defectum. Siquidem in rebus phyſicis ſic rem ſe habere conſtat, vt, ſi vnius partis virtus ſit imminuta vel nulla, alterius partis

 vir-

k) Diuerſitatem talem arteriarum et venarum ſuppeditauit Abr. Kaav. Boerhaaue in hiſtoria anatomica infantis, p. 73. ſqq.

virtus intendatur; hunc fere in modum v. c. coecus ſenſibus reliquis acutioribus vt plurimum pollet quam alii. Tandemque forte calor ſymbolam aliquam contulit ad ſanguinis motum eo melius perſiciendum: neminem enim noſtrum ignorare arbitror per calorem expandi liquores, praecipue ſulphureos et ſpirituoſos, quo de effectu nos inſtruunt thermometra, atque per eumdem calorem motum augeri inteſtinum. Quae tres cauſae coniunctim circuitum niſi produxerunt, auxerunt illum tamen haud dubie. Verum vmbilicum nondum deſerere poſſum, niſi antea monuerim, in Noſtro fortaſſe alio in loco l) inſertum fuiſſe illum, et, vt mihi videtur, in parte illa fungoſa ſupra penem; et tunc per illum nutritio et circuitus ſanguinis vtique eſſent peracti; quod tamen ita accipiendum cupio, vt quidem non ſtrenue defendendum putem, ſed tantummodo coniecturae loco eſſe velim.

EXCRESCENTIAE CARNOSAE VBERIOR DESCRIPTIO.

Regionem et ſtructuram huius excreſcentiae ſi perluſtro, eam eſſe intelligo, in qua glan-

l) Huic coniecturae fauet Cl. Iuveti obſ. de infante monſtroſo inſerta Iournal de Medicine, Chirurgie &c. par M. van der Monde T. XIV. p. 244. qui loco partium oſſearum verticis ligamento cutaneo, membranoſo, carnoſo, vaſculoſoque fuit inſtructus, quod tanquam funiculus vmbilicalis, qui defecit, in centrum placentae fuit inſertum.

glandula proſtata collocata eſſe ſolet, ideoque hoc corpuſculum, mutata forma ex abdomine prominens atque protruſum, glandulam ipſam fuiſſe, his potiſſimum rationibus certior factus credo. Structura ſiquidem eius glanduloſa atque ſpongioſa erat, et tantum robuſta illa membrana orbata conſpiciebatur, quae proprie proſtatam ſolet cingere, atque ob luxuriem m) ſiue ſucci nutritii abundantiam, in hanc regionem delata, non ſolum maiorem excreuerat in molem, quam in ſtatu naturali; ſed etiam ob virtutis plaſticae errorem extra locum ſuum conſuetum, et integumenta communia, erat non ſolum propulſa, ſed etiam denudata. In vtroque verſus inguina latere erat paululum depreſſa, atque ſulco in longitudinem deorſum interſtincta atque notata, qui haud dubie eius cohaeſionem ac concretionem cum veſica vrinaria, cuius portiuncula quoque ex abdomine protracta erat, indicare videbatur, atque ante oculos ponere. Foraminula duo in lateribus illis conſpicua me praeterea dubitare non ſinunt, hanc excreſcentiam arcte cum veſica vrinaria cohaeſiſſe; atque in vnum cum illa coa-

m) Ex ſimili cauſa monſtra quoque in regno vegetabili procreantur, quorum exempla collegit Phil. Iac. Schlotterbeccius in ſchediaſmate botanico de monſtris plantarum, inſerto Actis Helueticis phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medicis Vol. II. p. 3. ſqq.

conluiſſe corpus, quoniam non ſolum ex iis ſtillabat vrina guttatim, quam puer pro lubita, paruo forcipe admoto, et foraminulis paulisper dilatatis, prouocare, atque exprimere poterat; ſed etiam ſimul liquor exſtillabat proſtatico liquori admodum ſimilis, qui ſuſpicari iubet ad haec foraminula ductus tranſiiſſe excretorios illius glandulae, qui more conſueto ex cauernulis in vrethram ſeſe excernerent; ob defectum autem vrethrae, eiusque ſaltem obſtructionem, vti paulo poſt videbimus, ad haec foraminula commearent. Inſolitas autem vias interdum ingreditur natura in excretionibus procurandis in vniuerſum, et ſigillatim in excretionibus vrinae n); ſi quacumque demum de cauſa viae ordinariae ſunt praecluſae obturataeque.

DE

n) Cf. Th. Bartholini hiſtor. anatomic. rarior. cent. I. qui de monſtroſo viro refert, eum lotium ex pila quadam fungoſa circa locum vmbilici abſentis protuberante, velut per ſpongiam ſtillando reddidiſſe, et pro lubitu, veluti lac ex papillis expreſſiſſe. Horſtius in ep. med. ſ. 19. narrat feminam ex vulnere pudendi partes clauſas habente, per triennium ſingulis diebus materiam aqueam per vomitum eieciſſe. Platerus in Obſ. L. II, et III, producit exempla, apud multos vrinam pene abſumpto ex vlcere prodiiſſe. Beniuenius Obſ. c. 7. ex ano euacuatam vrinam tradit. Ruf. Epheſ. de renum affectibus obſeruauit quemdam, qui duodecim annis reddiderat vrinam per inteſtinum longanonem.

DE PENIS FORMA SINGVLARI.

Sit caſtis mentibus, precor, honos, dum ordinis me ad deſcriptionem penis ducit ratio, qui, quum inter res naturales locum ſibi vindicet, mihi tritum illud prouerbium; naturalia non ſunt turpia, defendendi cauſa proferre concedit. Anatomicis ex regulis illum examinare iam non opus eſt, et puſillam eius formam, qua ad nanos pumilioneſque refertur, quoque perſpicue tradidimus. Illuſtrandae tantummodo rei gratia quaedam addere placet. Primum enim et nimium et parum feciſſe interdum naturam exempla comprobant. Priapos enim producere naturam, antiquitates teſtantur, duplicem vero penem non ſolum Iulius Obſequens o) prodiiſſe commemorat, ſed etiam quaedam exempla laudat Bartholinus p) et teſtes, vt veritas conſtet, ſiſtit patrem ſuum, qui Bononiae talem fuiſſe refert, et Schumacherum, qui eiuſmodi Priapi vidit nepotulum. At vnde talis oriatur differentia ex cauſis ſupra iam allatis poteſt definiri; videlicet ex ſucci nutritii abundantia, aut defectu, ſibrarumque minus recto poſitu, &c. et non opus eſt confugere ad illud: virorum partes genitales vmbilici proportionem imitari ac referre, et inter has partes intercedere aliquam ſympathiam, communionem, atque con-

o) de prodigiis, c. 10.

p) Hiſtor anat. rar. Cent. IV. hiſt. 22. p. 269. ſq.

conuenientiam q), adeo vt eminentior vmbicus, longiorem, depreſſior autem minorem colem indicet, quae, ſi vera ſunt, nullus vmbilicus in Noſtro, etiam abſentiam penis notabit, cuius tamen contrarium ſenſibus percepimus oculiſque vidimus. Nihilo tamen ſecius hanc ob cauſam obſtetricibus mandatum fuiſſe legimus r), vt aequa eminentiae longitudine infantibus vmbilicum praecidant. Repudiamus haec merito tanquam fabuloſa atque inepta commenta, nugaſque aniles, potius nos obſtrictos eſſe putamus, de pene clauſo aliquam ſubiicere animaduerſionem. Vitio hoc laborantes a natiuitate vocantur, imperforati et ἀτρητοι, et vitium illud non ſolum in genitalibus inueniri partibus, ſed etiam in ano, iam dudum prodidit Ariſtoteles s), taleſque monſtris adnumerauit: verum etiam ſexus ſequior t) interdum huic vitio obnoxius eſt. Du-

q) Vide Elſholtium in Anthropometria, c. 24.

r) Vide Erotem ſ. Trotulam de morb. mul. c. 18 ligetur vmbilicus tribus digitis a ventre menſuratis, quia ſecundum retentionem vmbilici erit virga virilis maior, vel minor.

s) Ariſt. de gener. anim. IV. 4. ab hac diuerſa eſt imperforatio, ob vlcus, ob tumorem, aut relictam cicatricem, quae conſtituit phimoſeos ſpeciem.

t) V. Gorraeus in def. med. p. 62. "Ατρητοι dicuntur tam viri quam mulieres, quibus anus aut genitalia perforata non ſunt, ſiue id ex natura

Duplici autem modo fieri ſolet hoc vitium, primum, ſi praeputium ipſum coaluerit, et deinde ſi penis glandiſque vrethra ſit obſtructa clauſaque penitus. Qui poſterior luſus naturae penes Noſtrum erat. Similia exempla exſtant in medicorum ſcriptis, quorum duo tantum proponere iuuat. Beniuenius u) etenim ſcriptum reliquit, ſe nouiſſe Pauli Bonini filium, glande colis clauſa natum, qui paulo infra eam, itinere patefacto, vrinam reddiderit. Et Amatus Luſitanus x), de puero quodam verba facit, cui nullum in glande foraminis veſtigium apparuit; verum prope teſtes, ad ipſius penis radices, meatum a natura apertum fuiſſe tradit, per quem affatim vrinam reddiderit. Certe ouum non poteſt eſſe ouo ſimilius quam hae hiſtoriae. Adeo diligenter natura compenſat vnius rei abſentiam ſimili quadam, et numquam magis aequa, quam quum maxime videatur eſſe iniqua. Nondum autem his rite perpenſis putamus nos conſilio noſtro ſatiſfeciſſe; animum enim noſtrum multae res ſubeunt, quae hac occaſione paulo clarius ſunt diſquirendae, et quae fortaſſe etiam lectoribus noſtris, lecta hac hi-

natura ſit, ſiue ex morbo acciderit, carne vel membrana ſupercreſcente, et meatum obſtruente.

u) De abditis morborum cauſis, cap. 7.

x) In centur. I. curat. 25.

ſtoria, animaduerſionibuſque noſtris, in mentem venerunt. Itaque paucis illis immorabimur. Quaeritur enim

1. AN ADVLESCENS NOSTER SENTIAT VENEREOS STIMVLOS?

Grauiſſimis de cauſis affirmare tenemur, adulefcentem noſtrum non prorſus immunem fuiſſe a libidinis ſtimulis, quum enim quoad reliquas partes corporis integer atque ſanus eſſet, omneſque corporis ipſius functiones rite ſuccederent, et ille pubeſcere inceperat, ſtatuere poſſumus, etiam ipſis in vaſis ſpermaticis elaboratum eſſe ſemen. Teſtes vero fide digniſſimos huius rei ipſos teſtes adulefcentis ſanos, integros; atque pro aetatis ratione maiores amplioreſque, nominare poſſumus. Iam vero, ſi vera ſunt quae dicuntur, teſtes grandiores, et ampliora vaſa ſpermatica libidinis exceſſum declarare, quia videlicet prolifici ſunt capaciores humoris, atque etiam ſanguinem melius ſubigunt, ſpirituſque alacriores et ſemen vberius generant, omnino res confecta eſſe videtur, Accedit aliud argumentum ex Ioh. Bened. Sinibaldo y) depromtum, ſcribente: atretas omnium eſſe ſalaciſſimas, quia ſanguis ad vterum confluens, et nunquam emiſſus, pruritum auget, et cupidinem inflammat, quam quidem rationem et ad

ſexum

y) In Geneantropiae L. IV. Tract. c. 12 p. 440.

ſexum potiorem applicandam eſſe quilibet videt, quum ſeminis et ſanguinis copia ad partes genitales confluens idem efficere debeat. Quam quidem rationem eo lubentius admittimus, quo magis eam ad rem noſtram probandam aptam accommodatamque inuenimus, et conſentientem nobiſcum habemus Th. Bartholinum z) de viro ſine pene et podice differentem, eum cetera ſanum, nec feminas fuiſſe auerſatum. Certiores autem nos reddidit aliud phaenomenon, quoties enim hunc vidimus et noſmet ipſi aduleſcentem, aliique eum viderunt, toties erectum fuit membrum luculentiſſimo indicio, eum libenter fuiſſe appetiturum, ſi fieri potuiſſet, quod natura negauerat.

2. AN HVIC CONFORMATIONI MEDELA ADHIBERI, ET QVA RATIONE, POTVERIT?

Quaedam quidem excreſcentiae et monſtroſae conformationes manu quidem et ferro curantur, ſic enim labium leporinum, naeui quidam materni, glandulae cutaneae in maiorem molem excretae, digitorum excreſcentiae ſectione abſumuntur; et quaedam admittunt abſque detrimento exſtirpationem; ſed in noſtro talis medela neque tuta, neque ſalutifera fuiſſet, et ob vaſorum directionem, et

z) Hiſt. anatom. rar. Cent. I. hiſt. 65. p. 115.

et ob functiones his partibus conceſſas, et ob periculum haemorrhagiarum lethalium. Ad penem quod attinet, ille fortaſſe aliquam curationem admiſiſſet, niſi eius paruitas vetaret. Nos enim non latet genitale illud membrum abſque periculo circumcidi, atque etiam in lue venerea manu chirurgica ſaepenumero tractari, itaque ad eumdem modum etiam clauſus et imperoſatus penis poteſt aperiri atque perforari. Huius ipſius methodi meminit Hieronymus Mercurialis a), eam ab Abulcaſi commendatam laudatamque affirmans, quam operae pretium eſt, hac opportunitate oblata, paucis deſcribere. Praecipit âutem ignito ferro glandis perforationem facere, eo praeprimis conſilio, vt largior ſanguinis effluxus compeſcatur, et vulnus ipſum adipiſcatur duriorem cicatricem, ne denuo coaleſcat. Deinde foramini plumpea, vel argentea immittenda erit fiſtula, ibique detinenda tamdiu, donec vulnus consraxerit callum. Caeterum tam ante quam poſt manum chirurgicam admotam exquiſita, tenuis ac conueniens diaeta eſt praeſcribenda obſeruandaque, ne propter intenſum dolorem in partibus exquiſitiſſimo ſenſu praeditis, excitatum, et ob ignem admotum, vulnuſque factum; illa pars inflammationem concipiat, perdatur, atque ſimul homo in vitae incurrat diſcrimen. Neque hanc medendi ra-

a) De morbis puerorum L. I. p. 40.

rationem ſuaſerim, quum anceps ſit et periculoſa, aeque ac inutilis, quum breuitas ipſius phalli tolli non potuerit; neque conſilium Fallopii b) placet, qui iubet breuitati ſic occurrere, vt producatur, extendatur, atque omnia remoueantur ſtudioſius impedimenta, iuſtae magnitudini oppoſita. Admodum tamen vereor, ſi etiam aliqua ſpes reſtitutionis in integrum fuerit, ne admiſſurus ſit medelam adulefcens, quum illa monſtroſa corformatio ipſi ſit proficua, et de illo, bono tamen ſenſu, dici poſſit, ſe corporis facere quaeſtum, opes enim corradere ſolet atque reponere, vt habeat, de quibus in poſterum viuat, quod nec nos improbamus.

3. AN MORBI EX HAC MONSTROSA CONFORMATIONE METVENDI?

Ambabus amplectimur manibus, quae Pitſch, de Gorter et Gottlob. Henr. Troſchel c) ſtatuunt, morbos ex alieno ſitu partium abdominis oriri; conſtat enim vario modo errores in ſitu partium ſieri; etenim ſolida

lida

b) In L. de decoratione, c. 17. in quo de membrorum breuitate, et primo de colis longitudine docte tractat, atque fuſius ea recenſet, quae hanc curtam rei domeſticae ſupellectilem poſſunt protendere.

c) Vide diſſert. de morbis ex alieno ſitu partium abdominis, Trajecti ad Viadrum 1754.

lida corporis humani ſitu peccant, aeque ac fluida, quae haud raro locum alias inſolitum occupant, vel tandem peregrina corpora in noſtro corpore reperta, animalem turbant oeconomiam atque peruertunt. Suffragamur quoque Troſchelio, adiicienti de monſtroſo ſitu diſtinctiones haſce, illum videlicet eſſe abſolute lethalem omnemque curam reſpuentem, et non abſolute lethalem, in quo naturae aliquatenus ſuccurri poteſt, et in hypothetice lethalem, vbi accuratiſſima prophylaxis eſt neceſſaria, ne impoſterum ſymptomata nimis fiant moleſta, ſed potius mitigentur, aut ſi fieri poſſit, prorſus tollantur. Apud Noſtrum tantummodo extrema morborum claſſis in cenſum poteſt venire; nam ſitus partium temporis progreſſu admittere locumque concedere poteſt iſchuriae, dyſuriae, ſtranguriae, calculis, herniis, vlceribus, inflammationibus, quae tandem gangraena aut ſphacelo finiuntur. Per id tempus, quo inter nos adoleſcentulus eſt commoratus, et quoties eum vidimus, ſtudioſiſſimum illum in diaeta fuiſſe cognouimus, atque adeo ſeuerum, vt in itinere faciundo, ne hernias et inflammationes ſibi contraheret, ſe neque rheda neque equis vti, ſed pedibus incedere ſolere, ingenue profeſſus ſit, addendo hanc curam ſuae ſanitatis ab ipſo exigere rationem, ne morbi ingruant eumque laceſſant, quos ob conſtitutionem corporis debeat metuere.

4.

4. AN MONSTRA ET ADVLESCENS NOSTER DIV VIVERE QVEANT?

Quam plurimi cum Ariſtotele d) crediderunt, monſtra non poſſe diu viuere, quia experientia duce cognouerunt vitam breuiorem monſtris eſſe conceſſam, et deinde quia ſigna longaeuis hominibus propria penes illa non reperiantur, tandemque quia illa conformatio monſtroſa praedisponat ea ad morbos varii generis, atque adeo mortem ipſam propterea accelerare iubeat. Quantum equidem ſcio, ne vllum quidem exemplum longaeui cuiuſdam monſtri vllibi litteris eſt conſignatum, neque memini me aliquid de eo vllibi legere; igitur argumentis omnem fidem habendam eſſe cenſeo de breuitate vitae monſtrorum, quod fatum Noſtro quoque ſuo tempore filum abrumpet vitae.

EPILOGVS.

Addi poſſent plures quaeſtiones v. c. an monſtra ſint exponenda, quem morem apud Spartanos obtinuiſſe legimus, penes quos Lycurgi lege fuit ſancitum, vt puer mancus, deformis, aliaque monſtra, in loca vaſta et prae-

d) In Hiſtoria anim. VIII. 12. Zacchias, L. 7. tit. 1. qu. 2. n. 19. quamuis autem monſtra plurima citius intereant, tamen ſunt exempla in promtu monſtroſorum hominum, qui per plures vixerunt annos. v. Bartholin. cent. 1. obſ. 66.

praerupta exponerentur, vel in vltimas terrarum ablegarentur oras; vel, quod Legibus Romuli ab Vrbe Roma condita conſtitutum fuiſſe ferunt, vt fetus monſtri formam prae ſe ferens, mox a partu in flumen, aut mare proiiceretur, pro cuius expiatione, a ter Nouenis Virginibus carmen per vrbem canebatur e), deinde Iunoni donum ferebatur, vel an ipſa monſtra ſacra lauacro ſint initianda; quas quidem et ſimiles quaeſtiones eo libentius omittimus, quia ad noſtram hiſtoriam illuſtrandam nihil conferunt, et poſtrema inprimis theologis diſcutienda relinqui poſſit ac debeat, quaedam autem de illa legere cupidos ablegamus ad Michaelem Boudewyns f) qui accuratius in hanc inquiſiuit quaeſtionem.

---

e) Vide Alexandr. ab. Alexandro Genial. Dier. L. II. c. 15. et L. V. c. 27. Quaeritur tamen an monſtra interficere liceat? Affirmant Menochius de arbitrariis iudicum qu. L. II. n. 28. ſqq. Weinrich de' ortu monſtrorum c. 41. Zacchias l. 7. tit. 1. qu. 1. n. 12. Weber de iure monſtrorum §. 10. Sed Mich. Alberti in ſyſtem. Iprud. med. c. 5. §. 19. p. 117. diſtinctionem hanc admittit, ſi de homine aut ex imaginatione genitum fuerit, tunc non eſſe occidendum etſi pars tantummodo laborat.

f) In ventilabro medico-theologico Part. II. Qu. 21. p. 427. ſqq. Zacchias, l. c. n. 10. et qu. 4. n. 3. Boehmer in Iure eccl. l. 3. tit. 42. n. 10. aliique.

CONRADI GESNERI

LIBELLVS

DE LACTE

ET

OPERIBVS LACTARIIS

PHILOLOGVS PARITER AC MEDICVS

CVM EPISTOLA

AD

IACOBVM AVIENVM

DE

MONTIVM ADMIRATIONE

ITERVM EDIDIT

PRAEFATIONEM INDICEMQVE

ADIECIT.

IOHANNES GEORGIVS FRIDERICVS FRANZIVS

LIPSIAE

SVMPTV IOHANNIS GABRIELIS BVESCHELII,

A. C. CIↃDCCLXXVII.

PRAEFATIO.

Lactea vbertate reſertum CONRADI GESNERI de lacte operibusque lactariis *libellum, perplurimos hucusque latentem annos, primum enim Tiguri A. R. S. MDXLI apud Chriſtophorum Froſchouerum prodierat, ex puluere et tenebris quaſi eruere ac protrahere, in aprico ponere ac iterum euulgare voluimus, eum maxime in finem, vt amicos ipſi conciliemus quamplurimos, comparemusque beniuolos lectores, cognoſcentes ac intelligentes ex veteribus auctoribus aeque ac medicis, viuis illis limpidisque omnis verae eruditionis fontibus, atque magnis doctrinae cuiuscunque inexhauſtisque theſauris, rigandos eſſe animos eorum ditandosque, qui in literarum*

ſtudiis cum laude vtilitateque verſari cupiant. Sane nos quam feliciſſimos cenſebimus, ſi libello hoc euulgando commendandoque, quamuis noſtra non indigere videatur commendatione, cum elegantia pariter ſua aeque ac copia rerum alliciat ad ſe vltro, trahat, rapiatque animos, in multis literarum elegantiorum, quarum ſine ope ne vlla quidem doctrina perfici poteſt, accenderemus amorem, in quamplurimis autem illum iam pridem accenſum alendo augendoque integrum atque conſtantem conſeruaremus. Quilibet ex paulo curatiori ſcriptiunculae GESNERI *lectione intelleget atque perſpiciet, literarum elegantiorum, quarum tanta, vt maior ne cogitari quidem poſſit, eſt praeſtantia, medico praeprimis, vltra vulgarem artis ſalutaris cognitionem qui cupiat ſapere, notitiam eſſe vtilem, proficuam atque neceſſariam, cum manu quaſi liberali ac fida indefeſſos ſui ducat amicos ad maximas delicias et voluptates mulcentes in ampliſſimo hoc literarum vndequaque fuſas campo, quarum decerpendarum ac fruendarum copia non animus ſolum humanus oblectari, ali atque exſatiari poteſt penitus; ſed ita quoque de veritate reddi certus confirmatusque, nulli vt prorſus relinquatur amplius dubitationi locus.*

Sed

Sed et alia vltro ſeſe nobis offert vtilitas ex hoc libello procul dubio non protinus exſpectanda; ſed certiſſime ſperanda; haec videlicet, maiorum noſtrorum, qui quoque ſenſum veri bonique, (ex Aeſthetica vti recentiorum quidam ſcriptorum opinantur optime hodie capiendum,) perceperunt, ſcripta non alto eſſe ſpernenda ſupercilio, prouti a multis fieri aſſolet, qui ſibi ipſis ſolum ſapere videntur, et recentiorum tantum libros, quam maxime etiam vtiles, legendos cenſent; ſed quoque diligenter conſulenda atque accurate perluſtranda. Re enim edocemur ipſa eos quoque veritatis ſenſiſſe dulcedinem, aeque ac argumentorum ipſam obfirmantium grauitatem, quibus nihil gratius iucundiusque homini doctrinae cupido obuenire, atque nihil magis ad aſſenſum extorquendum cogere queat. Tunc enim manibus, GESNERI *libellum noſtris tenentibus, ſeſe nobis forte obtulit commentatio* WALTHERI de butyro cum praefatione MATTH. GEORGII PFANNI de lactis vſu Erlangae *An. MDCCLI typis expreſſa, ex qua conferendo eam cum ſcripto Geſneriano apparebat, veritatem vnam eamdemque ſemper fuiſſe, et viros noſtrorum temporum eruditos ea paene dixiſſe, quae*

a maioribus quoque prodita eſſent, literisque mandata. Neque aliter ſenſiſſe feminam illam genere et literarum doctrina nobilitatam, Florentiis degentem, ARGENTINAM BARDIAM de CONTI de VERNIO, *natam* BVONIAM, *quippe quae commentarios edidit perelegantes,* de columbis, oliuis, lactucis, butyro, caſeo, &c. *augurari poſſumus, quum vir Celeber. atque Excellent.* BERNOVLLIVS, *cuius fidendum tuto eſt iudicio acerrimo, non ſine laude in* Additamentis *ad viri Celeb. et Conſult.* VOLCKMANNI Italiae deſcriptionem *nuper recuſis, auctis ac emendatis, meminerit. Multa quidem, quod equidem non negauerim, apud* GESNERVM *ſunt, quae temporibus minus apta noſtris videantur atque accommodata, nihilo tamen ſecius ea reiicienda aut exterminanda eſſe cenſeam, quum, qua via, quaue ratione veteres pro temporum, perſonarum, aetatum, terrae tractuum, regionum, in perſanandis corporis humani morbis, aeque ac in conficiendis ad vſum humani generis operibus lactariis ingreſſi ſint, doceant; vnde has hic inueniendi opportunitas diligenti atque attento Antiquitatum ſcrutatori non niſi gratiſſima eſſe poterit: quare et hac ratione neque*

utili-

vtilitate ſua deſtituetur prorſus omni, neque a lectoribus absque fructuum perceptione vberrimorum erit ſeponendus; ſiquidem exinde intellectu ſit facillimum, qualia incrementa Hygiea noſtris ceperit temporibus, et quam inſigniter ſit aucta emendata, curaque medica politior reddita ab iis, qui pluribus inſtructi praeſidiis elegantiſſimis ad maiorem latiusque patentem peruenere notitiam. Verum et philologis vſum haud contemnendum libellus iſte affert, quare non immerito GESNERVS *Philologum quoque dixiſſe arbitramur, et certo confidimus; quamplurimis enim veterum auctorum locis rite intelligendis, belle explicandis, atque egregie illuſtrandis inſeruit, quo non ſolum faſtidium ex minus recte intellectis verbis, aut paulo obſcuriori modo propoſitis ſententiis, obortum ac perceptum propellitur, ſed etiam mirifice lectio eorum adiuuatur. Iuſto ſane longiorem huic ſcripto praefigerem praefationem, ſi in commemorandis vtilitatibus omnibus, quibus animus recreandus eſt lectorum, multus eſſe vellem; ſed pro inſtituti mei ratione ſatis me dixiſſe arbitror.*

Claudite iam riuos, ſat prata biberunt.

Hoc tantummodo addendum exiſtimo, me hoc opuſculo edendo non operis ſolum praeeſſe, ſed pauca quaedam etiam de meo addere voluiſſe, ne nullo libellus additamento auctus prodiret. Vnde et Indicem Sectionum et Rerum Verborumque adieci, vt maiorem forſitam ei conciliarem gratiam, et quibusdam prodeſſem, qui Indices conſulturi de toto argumento libri diſſerere audeant. Gratiſſimum autem mihi ipſi hoc fore confirmo, ſi meum conſilium meaque opera qualiscunque quamplurimis non diſplicuerit lectoribus. Scr. Lipſ. d. XIV. Iulii A. R. S. MDCCLXXVII.

Cla-

CLARISSIMO VIRO D. IACOBO AVIENO

CONRADVS GESNERVS, MEDICVS

S. D. P.

Conſtitui poſthac, Auiene doctiſſime, quam diu mihi vita diuinitus conceſſa fuerit, quotannis montes aliquos, aut ſaltem vnum conſcendere, cum in ſuo vigore plantae ſunt, partim earum cognitionis, partim honeſti corporis exercitii, animique delectationis, gratia. Quanta enim voluptas, quantae ſunt putas animi, vt par eſt affecti, deliciae, montium moles immenſa ſpectando admirari, et caput tamquam inter nubes attollere? Neſcio quo pacto altitudine ſtupenda mens percellitur, rapiturque in ſummi illius architecti conſiderationem. Quibus vero ſocors eſt animus, nihil mirantur, domi torpent, non prodeunt in mundi theatrum, latitant in angulo vt glires per hiemem, non cogitant hominum genus in mundo conſtitutum eſſe, vt ex eius miraculis maius quidpiam, ſummum ipſum colligeret numen.

 Tanta

Tanta laborant ignauia, vt tamquam ſues ſemper in terram aſpiciant, numquam ore ſublimi coelum intueantur, *erectos numquam tollant ad ſidera vultus.* Volutentur igitur illi in luto, lucro et illiberabilibus ſtudiis attoniti iaceant. Sapientiae ſtudioſi pergent terreſtris huius paradiſi ſpectacula corporeis animique oculis contemplari: inter quae minime poſtrema ſunt, edita praeruptaque montium faſtigia, inacceſſa praecipitia, ad coelum tendens laterum immanitas, rupes arduae, opacae ſyluae. Quaeſo te, quae res eſt, vt ſapientiſſimi viri Grynaei noſtri verbis vtar, quo minus cumulatum ſaxetum tantum, tantae vaſtitatis pondus, cedente ſemper ſoli mollitia, in ima (quo etiam ſuapte natura vergit) aſſidue ſubſidendo non condatur? praeſertim nusquam, quam ad illorum radices, teneriore aut paludoſiore terra: vt vel immenſae profunditatis fundamenta eſſe oporteat: vel ſic, quemadmodum radices arborum, latiſſime ſpargi. Quid quod ſaepe, veluti induſtria, ſic pendent ſcopuli, vt nulla vi prohiberi, minans tot fruſtra ſeculis ruina, poſſe videatur? Et quem in vſum iſta ſeſe tanta faſtigia tollunt? In his nempe forni-

cibus

cibus, illa mox tanto cum agmine erumpens aquae perennitas concipitur, dum incluſus intra laterum caua ſpiritus, repercuſſu gelido in guttas aſſidue deſtillat: quae mox corriuatae, fontes iam aſſiduitate fiunt, lacubus, ſtagnis, fluminibus abunde tantam aquarum vim ſuppeditantes. Ecce tantum beneficium molibus iſtis debemus, abdito intus tam ſtupendo naturae miraculo. Caeteri vero minores iam, vel ſpacia, tumore collium apricorum, terrae planis in alios vſus abſumptis, largiora praebent: vel mundi latus infeſtum, tamquam vallum oppoſitum arcent: plerumque curſus fluminum in proximos campos auertunt, riuantque: haud raro etiam ferramenta ſuppeditant: ſupellectilem non ſolum colendis agris, moenibusque condendis, ligna, ſaxa, ferrum: ſed tractandis negotiis, argentum, aurum. Haec Grynaeus in ſuis annotatiouibus in Ariſtotelis librum de mundo: cuius ego viri iudicium, ac orationem cum faciam maximi, et vt maxime philoſophica in primis amplectar, apud te recitare malui, quam meis verbis ineptius agere, quibus ſi iterum ad montes paucis redeant, veniam dabis.

In-

Inquam igitur inimicum eſſe naturae, quisquis non magna contemplatione digniſſimos eſſe montes excelſos iudicauerit. Certe altitudo montium editiorum iam inferiorem ſortem ſuperaſſe videtur, noſtrasque tempeſtates effugiſſe, tamquam in alio mundo ſita. Non eadem illic potentiſſimi ſolis, non aëris et ventorum vis. Durant perpetuum niues, res molliſſima vel digitorum tactu diffluens, nullos ardoris, aeſtusque ſolaris impetus curat: neque tempus fugit, ſed potius in duriſſimam glaciem, perpetuamque cryſtallum gelatur. Olympi vertex inſcriptas cineri literas poſt annum quoque repraeſentat. Quis animalium varietates, et pabula alta ferarum in montibus, ſatis recenſeat? Quicquid aliis in locis ſparſim et parce natura profert, id in montibus affatim ac vniuerſim tamquam in cumulo quodam monſtrat, porrigit, explicat, et ob oculos omnem theſaurum, omnia ſua *κειμήλια* ponit. Itaque omnium elementorum, naturaeque varietatis admiratio ſumma continetur montibus. In his eſt videre *πελώριον ἄχθος ἀρούρης*, velut oſtentante natura, et virium ſuarum periculum faciente, tantum pondus tam altum

altum eleuando, quod tamen vltro ſemper grauiſſimoque nixu deorſum labaſcit. Hinc ſcaturigines aquarum largiſſimae, quae ſatis orbi ſunt irrigando. Saepe lacus in cacuminibus ſunt, tamquam ludat geſtiatque natura e profundiſſimis ſpecuum puteis liquorem procul ſurſum attrahere. Aerem vero longe lateque fuſum eſt circumſpicere, eumdem montanis aquarum attenuatis vaporibus ali et augeri. Eſt quando cauis incluſus antris terraemotus ciet eosque nonnullis in locis perpetuos. Ineſt etiam ignis, cuius opera intus metalla tamquam artificis, fabricantur. Alibi ſalubrium thermarum fontes igneam praeſentiam teſtantur, quod plurimis Heluetiae noſtrae locis fit. Et vbi flammae prorumpunt, vt in Aetna, Veſuuio, et monte iuxta Gratianopolim. In aliis autem licet indicium ſui nullum faciat, latet tamen in penetralibus ignis. Nam cur montes non longa ſeculorum ſerie ſubſidunt, nullis tempeſtatibus, quibus obnoxii ſunt perpetuo, non aquis imbrium torrentibus abſumuntur? Nimirum ignis cauſa, quae tum generationis montium, tum perdurationis eadem eſt, quod Philonis philoſophi teſtimo-

monio probatur. Quum etenim natura ignita in terra condita ſurſum verſus rapitur vi naturali, ad proprium locum tendit, ac ſi quantulum ſit cunque ſpiraculum nacta, ſublime rapit ſecum multum terrenae ſubſtantiae, (quod in Aetnae crateribus apparet) et quam poteſt plurimum. Simul ac vero terra ipſa eruperit, fertur compendioſa via. Ea porro terrena natura ignem ſubſequi erumpentem coacta, ad altitudinem multam aſſurgens, in arctum contrahitur, ac tandem in verticem deſinit muceonatum, igneam naturam imitando. Siquidem tunc neceſſe eſt, vt leuiſſima natura et grauiſſima, quae ſunt aduerſariae, inter ſe conflictentur, cum vtraque in locum ſuum ſuopte nutu vrgeatur, contraque alterius violentiam altrinſecus diſtrahatur. Proinde natura ignea terram ſublimem ſecum rapiens, deorſum vergere cogitur terreno degrauante: terra vero in infimum libramento ſuo depreſſa, contraque ab igne ſuſpenſa, qui ſuamet ipſe ſponte ſublime attollitur, vix tandem ipſa a praeualente potentia atque ſubleuatrice euicta, ſurſum in ſedes ignis protruditur, atque ibi conſiſtit. Hoc pacto ignis

ignis habitus eſt montium, vt loquebantur Stoici, hoc eſt, vinculum quo cohibentur, quod vsque quaque intentum, a medio incipiens ad extrema vsque pertinet. Itaque cum omnium elementorum et totius naturae vis his ſeſe cumulatiſſime prodat, non mirum veteres diuinitatem quandam in montibus admiratos eſſe, ac proinde monticolas multos deos ſibi finxiſſe, vt Faunos, Satyros, Pana, quibus caprinos pedes addiderunt, ſemicapros, *αἰγοπόδας* et *τραγοσκελεῖς* appellantes, ob hirtam montium aſperitatem, et quod haec animalia montanis paſcuis delectentur. Eosdem terrores authorum habuerunt, quod ex huiusmodi ſylueſtrium ac editiſſimorum locorum contemplatione, neſcio quis maior, quam qualem incutiunt res humanae, ſtupor animis oboriatur. Praecipue vero Pan montium incola vniuerſi ſignificationem habet: cuius, vt dixi, primariae partes montium inſunt, oriuntur inde, ibi vim ſuam exſerunt copioſiſſime. Quare pineo quoque ſerto redimitus eſt Pan, quod pinus montanum quidpiam, ſylueſtre, magnificumque polliceatur. Eius filium Bucolionem faciunt, qui boum paſcua pri-

primus docuerit. Omnia nympharum antiquitus exiſtimata numina in diuerſis montium receſſibus eſt inuenire, ὀρεάδας, ἀλσοιήτιδας, ἑλειονόμους, ὑδριάδας, κρηνῖδας, ἐπιποταμίδας, λιμνάδας, ναϊάδας, λειμωνιάδας, ἐπιμηλίδας, δρυάδας, ἁμαδρυάδας. Montes amat Diana venatrix. Bicipitem Parnaſſum et Heliconis amoenitates, Aonumque et Pieriae cacumina ſequuntur Muſae. Haec quamquam fabuloſa ſint, veri tamen nucleum ſuis inuolucris tegunt. Porro (vt redeam vnde digreſſus ſum) quam ob cauſam nullum aeui damnum montes decreſcendo experiantur, et quae ſit enaſcentium ratio plane ignorant, qui dicere non verentur, ipſorum naturam nihil quidquam ab arborum differre. Nam vt illae temporum vicibus amitiunt folia, alternisque repubeſcunt, eodem modo etiam montium partes quasdam abrumpi, et quasdam viciſſim adnaſci, tametſi non niſi longinquitate temporis agnatio haec innoteſcat, idcirco quod arbores natura celeriore praeditae, incrementum ſuum cito capiant, montes vero tardiore. Inde fieri vt enatae eorum partes vix ſenſu hominum percipiantur, nec niſi longo tempore

Iſtos

Iſtos igitur cum ſua ſententia relinquo. Sed quid eſt quod montes tantis ſpeluncarum atriis, tamquam domiciliis quibusdam, quæ non ſine operoſa induſtria videntur exſtructa, cauari apparent? An torrentes aquarum olim ſibi illac viam vi fecerunt, terra ſecum et rupibus raptis? An ab initio, ignis motu tellure inæqualiter ſurſum iactata, forte lateribus conuexis medius inanis relictus eſt locus? An deinceps ſuprema petens ignis, quod obſtabat, id rarefecit? An vero terraemotibus, quibus toties infeſtantur, partes ictae fatiſcunt hiantque? Illud quoque non caret miraculo, quod montium fundamenta ſint mollia, et leuia, ſi cacuminibus conferantur, quorum fere ſiliceum ingens pondus eſt. Nimirum aqua defluens molliores efficit pedes, qui neque ſolis neque ventorum vim admodum ſentiunt. Vertex ſoli ventisque obnoxius exſiccatur, quidquid humidum eſt defluit, ipſum relinquens aridum: percolatis igitur leuioribus et aqueis partibus, quidquid durum eſt, craſſum, et maxime terreſtre, id ſolum ſupereſt, quod deinde ſiue frigorum vi, ſiue caloris vehementia (quae in duris ſolidisque maior eſt) nimirum ab in-

ſito igne lapideſcit: qui perparum in partes inferiores et circumiacentes, plurimum in caput agit per ſuam pyramidis figuram. Cur igitur niues in faſtigiis dúrant, liquantur circum latera et radices? Infimus aer radiis phoebi refractis calfit, ſoluitque niues, non autem ad caput vsque pertingit reciprocatio illa geminatis in ſe radiis. At cur non a natiuo illo igne liquefiunt, qui potiſſimum in verticem agit? Terminatur vis ignis paulo infra ſummitatem (aliter emergeret vt in ardentibus montium) habetque ſibi terram, et ſaxa denſiſſima velut operculum, quod non penetrat conus ignis iam velut in ſummo nimium attenuatus, ac imbecillus, terra autem grauiori ſolidiorique opprimente. Ita finem ſuum citra ſummum habet: niues autem aere frigido, humidis gelidisque vaporibus velut aluntur et permanent.

Vnde fit quod montoſa loca ſyluarum ſint feracia? Quoniam alimenti copiam habent, ſcilicet aquarum ſcaturiginem, frequentiam imbrium, et niuis multitudinem, quae quidem magnopere prodeſt, cum paulatim colliqueſcens ſubeat ſolum, nec

vni-

vniuerſus humor influxu corruens vnico dilabatur. Ita enim et terra fermentari optime poteſt, calore circumobcluſo atque coercito. Quippe forinſeco conſtipatu, compreſſuque frigoris calor internus augetur (quod in puteis hieme calidioribus patet) is radicibus attractus toti plantae diſtribuitur. Accedit quod fere ſteriles ſint, aut ſaltem non ita fructificando vt vrbanae luxurientur, quod multum ad vitae breuitatem facit. Neque morbis, Theophraſto teſte, ut reliquae tentantur. Vnde tantam vim aquarum montes ſubminiſtrant? Inſitus ignis multos ciet vapores, qui cauis ſpecubus concepti, cum exitum quaerunt, a frigore deprehenſi denſantur. Id quod in noſtris etiam corporibus vſu venit, quae calfacta exercitiis halitus emittunt, mox ab aere frigidiuſculo in ſudoris guttas vertendos. Idem contingit in vaſis illis chymiſtarum inuentis, quibus ignis vi exhalantes liquores eliciuntur. Permulta ſunt alia, quorum gratia ſpectaculis montium ſupra modum capior, qui cum apud vos altiſſimi ſint, ac praeter caetera, plantis, vt audio, foecundiſſimi, inceſſit me cupido eos inuiſendi, ad quod ſimul amicitia tua me inui-

 tat.

tat. Ne tamen absque munere aliquo tantum amicum accederem, volui, quidquid ex tempore ſe mihi offerret de lacte et operibus lactariis a veteribus proditum, in tuam gratiam vtcumque conſcribere. Videbatur enim non ineptum genti veſtrae hoc argumentum, quorum magna pars lactarii ſunt, variis lac cibariis accomodantes: e quorum numero habetur nobilis ille caſeus raſilis, qui conditus aromaticis herbis, magnam gratiam apud externos meretur, ad quoscunque deferri ſolet. Condonabis autem ſi nullo ordine multa fuerint congeſta, memor plerumque talem varietatem ſine taedio legi. Vale Tiguri, menſe Iunio, anno ſalutis humanae, 1541.

INDEX SECTIONVM.

De lacte in vniuerſum, eius generatione, opere lactario, variisque lactis generibus 1
Oxygala quomodo fiat. ex Columella 13
De eodem et butyro, ex Plinio 15
Differentia lactis ab anni temporibus 17
Ab ætatum differentiis 17
Differentia lactis ab animalibus 17
Lactis differentia ab habitu animalium 18
A paſcuis 18
Quibus competat lac 19
De modo, menſura, ac tempore vtendi 21
Quibus lac obſit. Ex Galeno 22
De lactis decoctione 22
De lacte in genere 24
De his quæ cum lacte cibi gratia coquuntur 24
De lactis ſero, ex Galeno 25
De butyro, ex Galeno 28
De caſeo, ex Galeno 29
Medicamentum Galeni ex caſeo antiquo ad calloſos nodos podagrarum 30
De vi recentis caſei, ex Galeno 30
Plura de butyro 31
De butyro, ex Dioſcoride 31
Fuligo ex butyro, quomodo colligatur, ex Dioſcoride 32
Ex Plinio de lactis vſu adverſus venena 33
Ex Dioſcoride quædam de lacte, in ſuperioribus minus explicata 34
De humano lacte 36

Aetius

Aetius de cura teneſmi 38
Quomodo aluum fluxione laborantem curare oporteat 38
De lacte in grumos coacto 39
De coagulo 42
Galenus de coagulo 43
Iterum de caſeo, e Dioſcoride 44
Ex Varrone de re ruſtica 46
Palladius de caſeo faciendo 48
Caſei faciendi ratio, authore Columella 49
Berytius de caſeo faciendo apud Conſtantinum Caeſarem, quem doctiſſimus vir Ianus Cornarius nuper latinitate donauit, l. 18. c. 19 51
Probatio lactis, an aquam contineat. Ex eodem 53
Melcae praeparatio compendiaria. Paxami 58
Quid aphrogala. 60
De variis operibus lactariis 61
De his quae lactis vbertatem faciunt 77
De genitrice facultate lactis, ex Galeno. 79

Libel-

LIBELLVS DE LACTE,
OPERIBVSQVE LACTARIIS.

Lac ſuccus maternus eſt, quo animalia nutriuntur, vt Grammatici definiunt. Medici vero excrementum benigni ac vtilis nutrimenti: vel alimentum exacte elaboratum eſſe dicunt. Alii, primum animalis nutrimentum, ex ſanguinis alteratione factum. Alii, lac ſanguis eſt concoctus, non corruptus, alborem in deſtinatis & frigidioribus animalis partibus aſſumens. Alimenti concoctio prima in ventriculo, ſecunda in hepate, tertia peragitur in venis. Venarum maxima eſt, quam cauam vocant, quae a gibba iecinoris exorta parte, ſurſum deorſumque dorſi vertebras perrepat. Ab hac ceu trunco caeteris membris ramuli venarum diſtribuuntur. Quamuis autem potuiſſet natura ab eodem hoc ſtipite, vbi prope mammillas eſt recta & proxima via, ramos in ipſas propa-

gare, maluit diuerticulis vti. Primum enim dextrae cordis auriculae truncum illum inſinuat, & per omnem thoracem eleuat, deinde iuxta iugulum & clauiculas bina ſatis magna vaſa e vena caua, totidemque ex aorta arteria deorſum in mammillas remittit, quae illic anfractuoſis multis ambagibus vt vitium capreoli circumaguntur, quod etiam in teſtibus, & cerebello in retiformi textu fit. Quorſum hi circuitus, immo labyrinthi? Voluit natura benigniſſima parens, vt longa ambitu (praeſertim per pectus quod perpetuo motu caleſcit) ſanguis diu in vaſis moratus quam fieri poſſet elaboraretur abſolutiſſime. Porro cum omne membrum quod attrahit naturali facultate alimentum ſuae ſubſtantiae quam ſimillimum reddere conetur, idem ſtudium eſt mamillis, quarum eſſentia cum glanduloſa ſit albaque, concolor ſibi lac efficit. Haud ſecus accidit in feminis genitalis elaboratione. Non autem ſolum vaſa ſuperne mammillis communicantur, ſed alia etiam inferne ab vtero ſub cute aſcendunt, quae menſtrui ſanguinis partem, vt copioſum lac habeatur, illuc deriuant. Videtur ſane mihi natura aſcenſum vaſis imperaſſe, ne craſſus etiam et impurus ſanguis ſurſum ferri poſſet, ſed leuior duntaxat ac ſubtilior. Itaque quicquid feculentum eſt, ſubſidit in vtero a partu expellendum. Prius enim menſtruus fluxus cohibetur, ne, quod vtile puriſſimumque foetus alimentum futurum eſt, ſimul cum corrupto effluat. Quod autem mediocriter ſe habet, ad mammillas fertur, vbi coctum

coctum ſi quid labis inerat, exuit. Itaque Hipp. dixit γάλακτα εἶναι ἀδελφὰ ἐπιμηνίων, id eſt, lac cognatum eſſe menſibus. Haec de lacte, eius eſſentia, et generatione praefari libuit.

Lactarium opus, cibarium eſt quod ex lacte conficitur. Nam qui lacticinia id genus hodie appellant, barbara et vulgari voce vtuntur. Nec quod nomen id in quodam Hieronymi libello legatur, argumento ſit, receptum id a doctis fuiſſe: alioqui non conſtat Hieronymi ſit nec ne opus illud. Lactarius eſt, qui cibos ex lacte parat. Spartianus in Heliogabali vita: Dulciarios (inquit) et lactarios tales habuit, vt quaecunque coqui de diuerſis eduliis exhibuiſſent, vel ſtructores vel pomarii, illi modo de dulcibus, modo de lactariis exhiberent. Idem, Coenas, inquit, Heliogabalum exhibuiſſe alia die de oleribus, alia de pomis, alia de dulciariis, alia de opere lactario. Lactes ſiue meſenterium Graecis dictum, ſiue gracilia pinguiaue inteſtina, ſiue peritonaeum et omentum interpreteris, certant enim Grammatici, nomen habent quod mollicie candoreque lac aemulentur. Plinius lib. 15. Ab hoc ventriculo lactes in oue et homine per quas labitur cibus. Lactaria herba, id eſt tithymallus, lactuca, et lactoris, liquore lacteo turgent, vnde nomina. Conciliat tamen lactuca in cibo quoque lactis vbertatem, cum ſanguinem prae aliis holeribus plurimum optimumque gignat, niſi, quam par ſit, frigidior eſſet. Lacteſcere dicitur quod in lac tranſit. Cicero libro 3.

de natura: Omnis fere cibus matrum lacteſcere incipit. Plinius eodem verbo ſignificauit lacte impleri. lib. 2: Aſinae praegnantes continuo lacteſcunt. Lactucinorum familia apud Romanos a lactucis appellata fuit. Lactat nutrix, lactatur et lactet infans, dum lac ſugit. Idem ablactatur cum a lactis vſu ad ſolidiores cibos remouetur. *Lactentia frumenta* Virg. lib. 1. Georg dixit, id eſt, lacte plena. Lactare per translationem ſignificat aliquem ineſcare, blanditiis illicere decipiendum. Terent. in And. *Niſi me lactaſſes amantem ſpe producens.* Idem *Eorum animos lactas.* Lacteum vocatur quod ex lacte eſt. Quandoque candidum, ſuaue, ſucculentumque, vt colla lactea: et lacteus qui lacte alitur: Γαλαθηνόν id Graeci nominat, et ὑπομάζιον: Lactarium piſtorem, γαλακτοῦργον. Lacteus circulus Graecis γαλαξίας a colore nominatus eſt, de quo Naſo cecinit:

Eſt via ſublimis coelo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet candore notabilis ipſo.

Galaxiam praeterea Graeci vocant pultem hordeaceam cum lacte, eodemque nomine feſtum, in quo id genus edulii parabant. Γαλακτιᾶν eſt turgere lacte, vt mammillae ſolent grauidis. οὔθατα σφριγῶντα Pollux vocauit. Nam cum ſine lacte turgent, fratrare vocatur, quod fit circa decimumquartum annum. Galactophagi, populi Scythiae ſunt lacte victitantes. Columella lib. 13. Lac quibusdam nationibus frumenti expertibus victum commodat, ex quo

No-

Nomadum Getarumque plurimi Galactopotae dicuntur. Γαλακτοποτεῖν eſt lac potare. Γαλακτουχεῖν, et γαλακτοτροφεῖν lacte nutrire. Γάλα, id eſt, lac, dictum apud Graecos videtur, παρὰ τὸ καλὸν εἰς ἀνατροφὴν εἶναι, id eſt, quod pulchrum et gratum ſit nutrimentum. Lac autem apud Latinos, a liciendo, quia admotis mammis infantis alliciuntur: aut quod ipſi ſugendo id eliciant. Γαλακτοκόμος paſtor eſt, qui lactis curam habet. Lac ſubducitur agnis apud Virgilium, hoc eſt emulgetur. Preſſi copia lactis, apud eundem pro caſeo. Galatea fuit nympha, Polyphemi Cyclopis amores: cui nomen a lacteo candore inditum, vt etiam Galaxaerae. Sunt qui ſimiliter Gallos a lactis colore nuncupatos velint. Nam montes & rigor coeli ab ea parte ſolis ardorem excludunt, vt eorum corpora non colorentur. Γαλακτῶδες appellatur, quod neque calidum neque frigidum eſt, ſed tepidum vt lac. Latini videntur etiam egelidum appellare, vt docuit Cornarius, qui pro Graeca voce Latinis lactoſum reddidit apud Galenum; qui ſaepe alibi tepidae caliditatis meminit, et aquoſae tepiditatis, vt in atriplice, et cytiſo.

Galactites lapis, quaſi lactarium dixeris, ſuccum ex ſe lacteum remittit, cinereus ei color, ſapor dulcis. Morochthum quoque lapidem nonnulli a candore galaxiam, aut leucographida nominant. In Aepypto naſcitur. Vtuntur eo linteariorum officinae ad candorem veſtium, quo-

niam mollis eſt, et facilime diluitur. A verbo lacto, aliqui etiam delecto et oblecto deducunt.

Lactaria columna erat in foro boario, dicta quod ad eam infantes lacte alendos deferebant. Γαληνόν Graecia tranquillum et ſerenum indigetat, quod nimirum inſtar lactis lene et aequabile ſit. Lacteum eloquentiae flumen in Liuio commendatur, quod eius oratio candida, pura nitidaque ſit. Ορνίθων γάλα, hoc eſt gallinaceum lac, inter paroemias numeratur, in opulentos, et quibus omnium rerum copia ſuppetit. Aut de rebus inuentu raris, ideoque precioſis. Anaxagoras in phyſicis lac gallinaceum, album in ouis liquorem eſſe ſcriptum reliquit, quod Athenaeus ſecundo dipnoſophiſtarum libro teſtatur. Lilii flos coronarius, emaculatiſſimi omnium candoris, ob nobilitatem regius a quibusdam dictus, et Iunonis roſa; natas enim ex eius lacte dicitur, cum dormiente dea admoto vberibus eius Hercule, vago pueri et incerto ſuctu diuinum lac in terram decidiſſet. Nos hoc tetraſticho figmentum comprehendimus.

LILIA.

Dum puer Alcides diuae fagus vbera ſuxit
Iunonis, dulci preſſa ſopore fuit:
Ambroſiumque alto lac deſtillauit Olympo
In terras fuſum, Lilia nata ſumus.

Mart.

Meta lactis, eſt caſeus ad formam metæ factus.

Fert

Fert ille ceris cana cum ſuis mella,
Metamque lactis Saſſinate de ſylua.

Camelinum ab hominis lacte dulciſſimum, praecipue ſi ad vnam menſuram tres aquae addantur. Bos ante partum non lacteſcit, aſina protinus. Pullo eius, vbi pingue pabulum eſt, biduo a partu maternum lac preſſiſſe mortiferum: genusque morbi vocatur coloſtratio, et infantes coloſtrati, denſato lacte in caſei ſpeciem. Ex proximo ſemper a partu coloſtrae fiunt: quae niſi admiſceatur aqua, dureſcant in pumicem. Eſt autem coloſtra, ſiue vt Plinius, coloſtrum, prima a partu ſpongioſa denſitas lactis. Martialis:

Surripuit paſtor, quae non aſtantibus hoedis,
De primo matrum lacte coloſtra damus.

Theodorus Gaza pro coitu lactis quocumque, coloſtrum plerumque accipit: itemque pro eo, quod ab Ariſtotele trophalides appellantur. De coloſtro et Martialis poëta meminit, et Lucilius, et Plautus in Paenulo; Mea (inquit) coluſtra, meum cor, meus molliculus caſeus. Inter opera vero ganeae pretioſiſſimum ex lacte caput vocatum: quod Britanni atque Belgae cremorem lactis hodieque nominant. Conficitur et quae ſpuma lactis dicitur Inſubriae, ſupra memorati cremoris aemula, quam Graeci aphrogala, vt inquit Aëtius, appellant.

Vtrinque dentatorum lac non coit. Tenuiſſimum Camelis, mox Equabus, craſſiſſimum Aſinae, vt coaguli vicem impleat. Omne lac

igne ſpiſſatur, frigore ſereſcit. Spiſſatus igni pyriathes et pyrihephthon vocari a Graecis, author eſt Aëtius. Meminit et Iulius Pollux. Sicut ſpiſſatum coagulo pyctes, quod ruſtici noſtri (ſcribit Hermolaus Barbarus) lac iuncatum a iunco et carice, aut quibus aliis ſegeſtribus inuoluitur, appellant. Athenaeus vero primum lac pyrihephthen et pyrihephthon tradit vocari. Photion primum lac a Graecis etiam pyos et pyon dici voluit: alioqui pyos et ſanguis concretus eſt, quod et pus dicitur. Pultem ex ouo et lacte oogala medici cognominant. Mulgere, lac eſt e mammis exprimere. Virg. lib. 3. Georg.

Quod ſurgente die mulſere, horisque diurnis,
Nocte premunt.

Ἀμέλγειν idem Graecis innuit, et βδάλλειν. Vſurpatur etiam emulgeo. Colum. libro 8. Sed priusquam hoc fiat exiguum emulgendum eſt. Terentius in Phormione per translationem dixit: Emulſi argento ſenem, quod eſt, ſine labore ſuſtuli. Immulgeo Plinius vſus eſt: Fabuloſum, inquit, arbitror de ſtrigibus vbera eas infantium labris immulgere. Mulctra ipſum lac mulctum, vel ipſam lactis extractionem, vel vas in quod mulgetur, ſignificat. Sed pro vaſe mulctrum quoque et mulctrale reperitur, apud Graecos πέλλα & ἀμολγεύς. Virg. libro 3. Georg.

Hinc

Hinc largi copia lactis.
Quam magis exhauſto ſpumauerit vbere mulctra,
Laeta magis preſſis manabunt vbera mammis.
Idem.
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere foetus.
Idem in Georg. *implebunt mulctralea vaccae.*
Horat in Epod.
Illic iniuſſae veniunt ad mulctra capellae.

Idem a mulgeo caprimulgi dicti, quos Ariſtoteles αἰγοθήλας vocat. Aves ſunt grandiores merulae aſpectu, fures nocturni, interdiu enim viſu carent. Intrant paſtorum ſtabula, caprarumque vberibus aduolant, ob ſuctum lactis: qua iniuria vber emoritur, capriſque ita mulctis oboritur caecitas. πελλαντής, is dicitur qui mulget, aut ipſa mulctra, nempe vas paſtorale, ſcaphiforme, latiorem habens fundum, in quod emulgetur lac a verbo πελεκῶ, id eſt cultro quidpiam fabrico, vnde et πέλεκυς, id eſt ſecuris inſtrumentum fabrile ad ſecandum. A pella voce Graeca diminutiuum habetur πελλίς, a quo fieri poteſt latinos ſuam peluim mutuatos eſſe. Νυκτὸς ἀμολγὸν apud Homerum diuerſimode exponunt: ſunt qui tempus quo mulgentur oues, vt veſpertinum aut matutinum crepuſculum accipiant: ſunt qui noctem intempeſtam, cum nullae pecudes mulgentur: alii denique aliter. Ἀμολγοί etiam per translationem nominantur, qui Rempublicam emulgent, et compilant. Coagulare lac, Graeci dicunt πηγνύναι

γάλα, καὶ τρέφειν, καὶ συνιςάναι. Occupari circa lac, eduliaque de lacte γαλουργεῖν et γαλακτουργεῖν; vt circa caſeum τυρόκομειν; τυρόκνη vero et τυρόκνησις, inſtrumentum eſt coquinarium, quo foraminato caſeus diſteritur minutatim. Γαῦλος aut γαυλός idem eſt quod πέλλα, et σκαφίς, ſcilicet vaſa ad mulgendum deſtinata. Epigrammata γαυλοὺς γλαγόπηγας cognominant, quod lac in ipſis coëat. Siquidem γλάγος pro γάλα poëticum eſt. Hinc γλαγερὸς et γλαγόεις, hoc eſt, lacteus; τυροκομεῖον, fiſcella eſt in qua caſeus ſeruatur; τάλαρος, calathus, in quo coagulatur. Τάρσος et ταῤῥός, et κρεμάςρα, fiſcillae ſunt in quibus ſuſpenſus exiccatur. Namque τέρσειν eſt ſiccare. Interpres Odyſſeae Homericae docet etiam ψυγὸν vel ψυκτῆρα idem eſſe quod καλαθίσκος, ſcilicet inſtrumentum in quo caſei formantur, διότι ἐν αὐτοῖς ψύγεται τὸ γάλα. Μάζαν ἀμολγαίην Heſiodus poſtoralem et craſſam mazam nuncupauit. Calathum Seruius interpretatur vas aeneum in quo lac, vel recens caſeus diſtrahitur. Sed Quid. 4. Faſtorum canit:

Haec implet calatbos lento de vimine nexos,
Hinc diminutiuum calathiſcus extat.

Fiſcella, vas vimineum, aut ex iuncis, quo lac coagulatur, dum caſeus exprimitur, vel in quo caſei feruntur. Pollux τυροφορεῖον appellat. Tib.

Tunc fiſcella leui detexta eſt vimine iunci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Huius

Huius aliud diminutiuum fiſcinula. Nam fiſcina maior eſt, qua feruntur paleae, foenum, frondes, et id genus reliqua. Licebit qualum et quaſillum eodem ſenſu accipere. Feſtus: Calathos Graeci nos dicimus quaſillos. Fiſcelli vocitati ſunt mollis caſei appetitores, quemadmodum catillorum liguritores. Gallion herba nomen tulit, quod pro coagulo lacti ſit, habet enim quandam acrimoniam, Galli muſquetum minus indigetant, Germani Megerkraut, alii, unſer Frauenbettſtroh. Aparine paſtores vice coli vtuntur, pilos ex lacte auferentes, nimirum circumactis per lac foliis, quorum aſperitas adeo tenax eſt, vt facile quicquid tetigerit apprehendat, nam et veſtibus haeret praetereuntium, ea cauſa φιλάνθρωπον appellant. Vernacula lingua Kleberkraut, Gallice grateron dicitur.

Collacteus, ὁμογάλακτος, qui vno et eodem lacte nutritus eſt. Iuuenalis:

Quid dicat notae collactea Maurae

Naturae lac imitatur amygdalatum, quod tum ad delicias, tum ad ſanitatis beneficium aetas noſtra frequentiſſime parat. Amygdalae circiter librae pondus calida reſoluuntur, vt facilius cortice ſpolientur, deinde cum pane excauato tunduntur. Tunſae ac diſſolutae recenti aqua in cacabum per ſetaceum funduntur, et procul flamma in carbonibus agitatae cochleari propter fumum, coquuntur. Sacharis adiicitur ſelibra. Parum coctura e amant. Liquidum enim hoc fercu-

ferculum magis quam ſpiſſum placet. Sunt qui et aquam roſaceam addant. Anſeris lac vocamus lingua vernacula, anſerinum pingue lacti incoctum, ſacharo vuisque paſſis adiectis: hoc inter lautelas recenſetur. Libet huc aſcribere verſus aliquot ex 9. lib. Odyſſeae de Cyclopis antro:

Καρπαλίμως δ' εἰς ἄντρον ἀφικόμεθ', οὐδέ μιν ἔνδον
εὕρομεν, ἀλλ' ἐνόμευε νομόν κατὰ πίονα μῆλα.
Ελθόντες δ' εἰς ἄντρον ἐθηεύμεσθα ἕκαστα.
Ταρσοὶ μὲν Τυρῶν βρίθον. στείνοντο δὲ σηκοὶ
Αρνῶν ἠδ' ἐρίφων, διακεκριμέναι δὲ ἕκασται
Ερχατο. Χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
Χωρὶς δ' αὖθ' ἕρσαι. Ναῖον δ' ὀρῷ ἄγγεα πάντα,
Γαυλοίτε, σκαφίδες τε τετυγμένα. τοῖς ἐνάμελγεν.

Ego vtcunque ita reddidi:

Mox antrum ſumus ingreſſi, non incola nobis
Inuentus, pecudes aberat per paſcua ducens.
Singula nos ſoli contemplabamur in antro.
Caſeus in calathis multus, ſtabula omnia plena
Agnis atque hoedis. Diſtabant ordine certo,
Priuae maiores, mediaque aetate ſeorſim,
Priuatimque recens nati. Mulctralia cuncta
Plena ſero ſtabant, quibus immulgere ſolebat.

Et paulo poſt:

ἑζόμενος δ' ἤμελγεν ὄϊς, καὶ μηκάδας αἶγας.
Πάν-

Πάντα κατὰ μοῖραν, καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἧκεν ἑκάστῃ.
Αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος
Πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκε.
ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
Πίνειν δαινυμένῳ, καί οἱ ποτὶ δόρπιον εἴη.

Latine verti ſic poteſt:

Ille ſedens mulgebat oues, ſimasque capellas
Rite ſciens operis, ſubrumos matribus inde
Subiecit foetus. Tum pulchra coagula lactis
Dimidii impoſuit ſiſcis de vimine lento.
Quicquid erat reliqui vaſis bene condidit amplis,
Vt biberet, coenaeque ſibi ſeruaret in vſum.

Oogala, id eſt lac ouis permixtum, cibus eſt dyſentericis commodus, tum ab Aëtio lib. 9. cap. 45. tum Paulo lib. 3. cap. 42. proditus, ad acredinem humorum contemperandam, ſupra nutrimentum quod abunde inde corpori accedit: quare etiam vt refocillandis viribus defectis congruens, ab Aëtio lib. 11. cap. 18. praeſcribitur.

Oxygala quomodo fiat.
Verba ſunt Columellae lib. 12. cap. 8.

Oxygala ſic facito, ollam nouam ſumito, eamque iuxta fundum terebrato: deinde cauum, quem feceris, ſurculo obturato, et lacte ouillo quam

quam recentiſſimo vas repleto, eique adiicito viridium condimentorum faſciculos, origani, mentae, cepae, coriandri. Has herbas ita in lacte demittito, vt ligamina earum extent. Poſt diem quintum, ſurculum, quo cauum obturaueras, eximito, et ſerum emittito. Cum deinde lac coeperit manare, eodem ſurculo cauum obturato, intermiſſoque triduo, ita vt ſupra dictum eſt, ſerum emittito, et faſciculos condimentorum exemptos abiicito, deinde exiguum aridi thymi, et cunilae aridae ſuper lac diſtringito, conciſique ſectiui porri quantum videbitur, adiicito, et permiſceto. Mox intermiſſo biduo rurſus ſerum emittito, cauumque obturato, et ſalis triti, quantum ſatis erit, adiicito, et miſceto. Deinde operculo impoſito, et oblinito, non ante aperueris ollam quam vſus exegerit. Sunt qui ſatiui vel etiam ſylueſtris lepidii herbam cum collegerunt, in vmbra ſiccent: deinde folia eius, abiecto caule, die et nocte muria macerata expreſſaque lacti miſceant ſine condimentis, et ſalis quantum ſatis arbitrantur, adiiciant, cum caetera, quae ſupra praecepimus, faciant. Nonnulli recentia folia lepidii cum dulci lacte in olla miſcent, et poſt diem tertium, quemadmodum praecepimus, ſerum emittunt, deinde compertam ſatureiam viridem, tum etiam arida ſemina coriandri, atque anethi, et thymi, et apii in vnum bene trita adiiciunt, ſalemque bene toſtum cribratum permiſcent. Caetera eadem quae ſupra faciunt. Hactenus Columella.

Qui

Qui etiam alibi carmine cecinit: Ponitur et lactis guſtus quae condiat herba: lepidium intelligens, quam Paulus Aegineta in coxendicis curatione lib. 3. cap. 77. fruticoſam eſſe herbam docet, laurinis foliis multo maioribus. Hanc eſſe iudico, cuius foliis noſtri loco ſinapis vtuntur, impoſito inde nomine.

De eodem et butyro Plin. lib. 28. cap. 9.

E Lacte fit et butyrum barbararum gentium laudatiſſimus cibus, et qui diuites a plebe diſcernat. Plurimum e bubulo, et inde nomen: pinguiſſimum ex ouibus. Fit et ex caprino, ſed hyeme calefacto lacte, aeſtate expreſſo tantum, crebro iactatu in longis vaſis, anguſto foramine ſpiritum accipientibus ſub ipſo ore, alias praeligato. Additur paulum aquae vt aceſcat. Quod eſt maxime coactum, in ſummo fluit: At id exemptum addito ſale, oxygala appellant. Reliqua decoquunt in ollis; ibi quod ſupernatat, butyrum eſt, oleoſum natura. Quod magis virus reſpuit, hoc praeſtantius iudicatur. Pluribus compoſitionibus miſcetur inueteratum. Natura eius aſtringere, mollire, replere, purgare *). Oxygala fit et alio modo, acido lacte addito in recens, quod dum aceſcit, vtiliſſimum eſt ſtomacho. Ad calidam ventriculi intemperiem ſalubriter propinatur. Oxygalactinus caſeus,

*) Vide libri finem.

ſeus, id eſt ex acido lacte paratus a Galeno probatur. Oxygala non laedit dentes, vt lac purum, niſi frigidiores fuerint, quibus aliquando ſtuporem infert. Sic et in frigido ventre non probe coquitur. In temperato, difficulter quidem, non tamen prorſus incoctile eſt. Caeterum calidus ventriculus praeter id quod nihil offenditur eius vſu, etiam iuuatur: Quinetiam ſi prius niue refrigeratum fuerint, ſine moleſtia ipſum ferunt. Adeo plurimorum alimentorum facultates non debent abſoluta ac ſimplici oratione tradi, ſed pro diuerſis vtentium affectibus diſtingui. Eſt autem in genere oxygala frigidum, craſſique ſucci, qualia cuncta crudum generant humorem, et calculos in renibus, ſi iuſto calidiores fuerint, neque ſatis amplos habuerint meatus. Habet autem oxygala non amplius acrem calidamque ſeri qualitatem, neque calidam ac pinguem butyri, ſed ſolam caſei naturam. Hoc Conſtantinus oleo iniectum, aut terebinthi foliis inuolutum tenerum permanere ſcripſit.

Lac etiam ſine coagulo cnici ſemine et floribus albae ſpinae coit. Item ſi calefacto frigidum acetum mulſum, vinumue mulſum inſpergamus: vel ſi in ipſum vas frigidiſſimam aquam continens demittamus: hanc lactis partium disgregationem Graeci σχίσιν nominant. Coloſtrum vero ſiue protogala, vel parum in calido cinere ferueſactum ſponte ſua citra aliorum opem coagulatur. Vbi mel et coagulum ei miſcetur, tenuis et aquoſa pars ſeparatur: vtuntur

tur autem aliqui in cibo, tantum coagulata parte, quae caſeoſa, et coaguli facultate calida igneaque, et melle conſtat. Alii ſimul et ſerum bibunt, ſiue ex aequo, ſiue alterum altero abundantius. Quamobrem venter magis minusue cietur, pro ſeri portione. Euidens et hoc eſt, plus ali corpus eorum qui tantum quod craſſius eſt, ſumpſerunt: minus qui pariter ſerum commiſcent. Eadem ratio in coloſtro diſcrimen efficit, etenim ſine melle aegrius coquitur, ſucci craſſioris eſt, tardius deſcendit. Vtrisque mixtis et illorum contraria contingunt, et corpus vniuerſum copioſius nutritur.

Differentia lactis ab anni temporibus.

Lactis ab anni partibus non exigua habetur differentia. Vernum, vt proximum a partu, liquidiſſimum, progreſſu temporis craſſeſcit. Aeſtate media ipſum quoque mediocre fit. Probatur maxime aeſtiuum veluti concoctu facile, et odoratum.

Ab aetatum differentiis.

Vigentium animalium lac optimum, iuniorum liquidius, ſeniorum aridius eſt.

Differentia lactis ab animalibus.

Bubulum quidem pinguiſſimum, craſſiſſimumque nutriendo et moderate penetrando ido-

neum. Camelinum liquidiſſimum, tenuiſſimum ac minime pingue, licetque plurimo ſero abundet, tardius tamen ſecedere longa experientia compertum eſt. Equinum vero ocyus deſcendit, ſimilique modo aſininum; quod et pauciſſimae pinguedinis particeps eſt, propterea raro in alicuius ventriculo tranſit in caſeum. Caprinum ſubſtantia temperatum, purgando quidem bubulo imbecillius: ad reliqua vero ſatis idoneum, et nutriendo non parum efficax. Craſſius iſto ouinum eſt, ſed eius frequens vſus cuti vitiligines albas inducit. Suillum pinguiſſimum omnium, vt ad concretionem coagulo non indigeat, ac perquam modicum ſeri excernat, decoctumque ocyſſime coaguletur. Ideo neque facile ſecedit, neque ventriculo congruit, ſed nauſeam guſtantibus excitat.

Lactis differentia ab habitu animalium.

A ſaniori animali ſalubrius ſemper lac emulgetur. Pecorum autem morbi deprehenduntur cutis gracilitate, glabricie, panis, impetiginibus, ſcabie, macilentia. Nigriora pecora robuſtiora fere ſunt, quod etiam carnium ſuarum ſapiditate dignoſcitur. Candidiora magna ex parte imbecilliora deprehendimus.

A paſcuis.

Paſcuorum varietate lac plurimum differt. Diverſa enim animalia diuerſas herbas depaſcunt.

Virens

Virens igitur herba, ac prope aquas naſcens, liquidius pauciusque lac ſuggerit. Solidior vero ac montana, ad lactis probitatem copiamque parandam commodiſſima eſt. Pabula aſtringentia lac gignunt, quod aſtringit, ſicut acria et praecipue cathartica, vt ſcammonia, veratrum, et lactariae herbae, quod aluum euertit: a cytiſo vero dulce ac pingue producitur.

Quibus competat lac.

Plurimi ſucci, plurimique alimenti omnium prope quae cibo aſſumuntur, lac eſſe iudicatur, quod optimum ſit. Quoniam vero aduerſis ſibi partibus atque viribus componitur, deiicientibus, inquam, et ſiſtentibus, obſtruentibus & attenuantibus, debent eius qualitates ab vtentis natura non alienae eſſe. Itaque lacte vſurus, apertos viſcerum meatus, venasque latas et amplas habere oportet, vt integram vtilitatem percipiat. Lactis quidem commoditates a priſcis quoque medicis recenſentur: moderata inquam alui deiectio, bonique ſucci generatio: et quod per venas digeſtum bonam quidem carnem meliorem facit: mordaces autem humores expurgat, quoſcunque inuenerit: qua de cauſa vrinae difficultate, et acri fluore ventris laborantibus non tantum bibitum, ſed inferius quoque per clyſterem iniectum confert. Ad acres et erodentes defluxus vtiliſſimum eſt; haud ſolum quod eos a membris affectis abluat, humiditate

abſtergente, quam in parte ſcroſa continet, ſed etiam quod membris illitum craſſitie et pinguedine ſua non ſinat nudis humores acres influentes occurrere. Ergo ad pulmonis, inteſtinorum, renum, veſicae, vterique vlcera, ad exanthemata, dothienas, caeterasque cutis aſperitates, efficaciſſimum medicamentum eſt. Ad cantharides etiam et bupreſtim epotam: denique aduerſus quaecunque putrefaciunt et exulcerant. Contra hyoſcyamum peculiare praeſidium eſt, illico enim prudentiores affectos reddit. Ad faucium quoque vlcera, a quacunque cauſa euenerint, ſed praecipue ab angina, aut ab epheméri ſumptione ore collutum confert. Potum his qui non aluntur, arefactis, et qui poſt morbum non reficiuntur, ſummopere opitulatur. Ad acres oculorum fluxiones, et hypoſphagmata vtiliter adhibetur: extra vero genis illitum hora ſomni, cum ouo et roſaceo, inflammationes ipſarum mitigat. Idem facit et in ſedis, pudendorumque vlceribus, prorſusque ad omnia quae mitigatione indiguerint, ob inflammationem aut eroſionem, aut quampiam corruptionem, efficaciſſime adhibetur: ideo et medicamentis, quae anodyna appellantur, admixtum, cancris illinitur. Quale illud eſt quod diapompholygos dicitur. Omnino enim lac ſedandi virtute pollet, praecipue ſi decoctione, aut alio artificio copia ſeroſi humoris exhauſta ſit.

De

De modo, menſura, ac tempore vtendi.

Qui lac ebiberit, ſumme cauere debet, vt interim a reliquis cibis abſtineat, donec illud exacte concoctum ſit, atque aluo ſeceſſerit. Nam ſi eo nondum confecto nouum alimentum ingeſſeris, praeter quod ipſum putreſcet, etiam quicquid adieceris, ſimul ad putredinem trahet. Mane vero bibendum nuperrime mulctum, atque interim magno labori parcendum, ſenſimque deambulandum, interiectis quietibus, quae tamen circa ſomnum ſint. His enim conditionibus potum facile ſecedit, educens ſecum quae ſuperuacua fuerint. Illud enim prae caeteris maxime obſeruari oportet, vt primum ſemper ſecedat: quod vbi ſeceſſerit, nouum bibendum eſt. In principio igitur ſecedit quidem commode, purgans non quae in tota corporis mole ſunt, ſed quae in ventriculo, inteſtinis, proximisque membris continentur. Poſtea vero iam per venas diſtribuitur, atque optime nutrit, neque amplius deiicit aluum, ſed potius ſiſtit. Menſura autem ſumendi omnibus communis praefigi nequit: ſicut et reliquis alimentis non alius modus imponitur, niſi quatenus facile tolerentur. Idem contra erodentes humores, et praeſertim qui impacti ſint, ſimul cum modico melle vtiliter exhibetur. Ita enim felicius ſumitur, magiſque et abſtergit, et aluum deiicit: poteſt et ſapae, aut paſſi quidpiam admiſceri, vt ſtomacho magis conferat. Addito ſale magis aluum citat, ſed iniucundius eſt.

Quibus lac obſit. Ex Galeno.

Quod quidem plurimo ſero abundauerit tutiſſimum, licet temere quis vtatur. Cui vero modicum ſeri, caſei plurimum ineſt, eius frequens vſus non omnibus tutus eſt. Renibus enim officit ad calculum generandum paratis, obſtructionesque et morbos hepatis illis adfert, quos aptos inuenerit. Tales ſunt qui vaſorum ab ſimis ad gibba hepatis alimentum diſtribuentium fines anguſtos habent: ſed neque capiti commodum eſt, niſi cui valde robuſtum fuerit: ſicut neque hypochondriis, quae facile intumeſcunt: plurimis vero inflatur, et perpauci ſunt, qui hoc vitium euadant. Eiusdem vſus aſſiduus dentes laedit, et gingiuas flaccidas marcentesque reddit, ac dentes ipſos putredini eroſionique exponit, praeſertim craſſius lac. Nam aſininum ob tenuitatem nedum dentibus nocet, ſed etiam abſtergendo prodeſt. Igitur poſt reliqui lactis vſum dentes colluendi ſunt vino diluto, quod potius cum melle fuerit: aut ſi caput non offendatur, etiam meraco vino. Quicquid enim dentibus inhaeſit, ita abſtergitur. Inutile lienoſis et iocinoroſis lac eſt, vertiginoſis, comitialibus, neruorum vitiis, febribus et capitis doloribus. Niſi quis purgationis cauſa, quod ſciſſile vocant, biberit, inferius exponendum, quo pacto fiat.

De lactis decoctione.

Lac decoctum abſumpto ſero, nullatenus aluum ducit: exhibetur quibus venter ab acribus excrementis eroditur, et his qui dyſenteria,

ria, autblioſa fluxione a ieiuno inteſtino erumpente infeſtantur. Modus conficiendi duplex: aut enim lac decoquitur, quousque pars ſeroſa exhalauerit: aut feruidi lapilli iniiciuntur. Sed quod per lapillos paratur, craſſius eſt, ideo inutilius. Sunt qui crematorum lapillorum cinerem in lac coniiciant, quod ad putreſcentia vlcera efficacius medicamentum eſt: his ergo omnino offerendum, quod per lapillos conficitur, reliquis quod decoquitur. Rectius decoquetur aſſiduo agitatu, ne ſecernatur. At ſi quid ori lebetis inſederit, ſpongia pura extergendum eſt: ſaepe enim reliquo decocto commiſcetur, ac totum corrumpit. Ita vero per lapillos conficitur. Lac prius excoquito, donec plurimum humoris exhalet. Inde tot duriſſimos lapillos incenſos in lac coniicito, quod ſerum prorſus abſumant. Nec ſegnius lapillis, imo et potentius, laminae ferreae ignitae in lac coniectae idem efficiunt: ineſt enim ferro vis aſtringendi, ideo quam plures ferreas rotulas mucrone virgulae infixas praeparamus, vt commode veluti capulo ferrum candens tollatur, haud ſecus quam in cauteriis facere conſueuimus.

Lac tamen ita confectum in ſtomacho ad caſei formam facile permutatur: propterea tutius quidpiam aquae admiſcetur, quod plures medici factitant, totum prius ſerum abſumendo, mox ſinceram aquam infundendo; neque ſeri humiditatem, ſed acrimoniam vitant, qua ſtimulatur aluus.

De lacte in genere.

Lac nobis et cibi et medicinæ pariter vſum præſtat. Salubre quod ſincerum purumque eſt, nullius omnino amaritudinis, vel aciditatis, vel ſalſedinis, vel acrimoniae, vel foetoris particeps. Sed, vt ita dixerim, bene olens, vel ſaltem odore carens: quod ſi ei quippiam iucundi odoris inerit, conſtat et idem nonnihil dulcedinis habiturum. Sit ſibi ipſi continuum optimum lac, vngui inſtillatum non defluat, et prout lacti conuenit, ſplendens. Super omnia, quoad eius fieri poteſt, ſimiles habeto partes. Non enim exacte hanc dotem, vt mel optimum, recipit. Quo vero tale lac fiat, et idoneis nutrimentis alendum animal eſt, et exercitationibus mediocribus admouendum: et pullus, ſi quem lactat, auferendus.

De his quae cum lacte cibi gratia coquuntur.

Lac cum aliquo craſſioris ſucci edulio quam maxime decoctum, abiicit quidquid ei flatuoſum inerat, ac magis nutrit, aluique fluxionibus, et tenuibus a capite ad pectus deſtillationibus congruit. Aduertendum tamen ne quodpiam viſcerum latenter offendat: diuerſa enim multorum natura eſt. Neque ſatis tuta huiusmodi alimenta ſunt, nam hepar facilime obſtruunt et renum calculos gignunt. In lacte coquuntur amylum, ſimila, chondrus, tragus, oryza, olera quaedam, panes, qui et ipſi craſſi ſunt

ſucci, ſi non probe cocti, neque rite parati ſint, neque ſalis et fermenti, quantum ſufficit, habeant.

De lactis ſero, ex Galeno.

Serum ob ſuas abſtergendi vires ad alui deiectiones, tum potum, tum per clyſterem iniectum aſſumitur: absque eroſione enim abluit, extergitque ab inteſtinis acrimonias, vt optime quispiam ſero, vice aquae, vlcera acri ſanie manantia lauare poſſit. Imo et medicinae quarum vis eſt diſcutiendi enchymomata et melaſmata, id eſt ſanguinem ſub cute concretum, et liuores, ſero rectius quam aqua e cute abluuntur. Eodem ad liuores oculorum et hypoſphagmata, id eſt ſugillationes, idoneis medicamentis commixto vtimur, quod ita praeparatur. Lac (excepto ſuillo aut ouino, vtrunque enim ſero reddendo ineptum) vegetiori igne decoquito, aſſidue aequaliterque verſando: quo efferueſcente, tantisper ceſſato, et ſi adhuc magis efferbuerit, in profundum vas ad hos vſus paratum frigidae plenum, repente ollam imponito, illico enim conſidebit: quieſcente feruore rurſus decoquito: cumque ſatis bullierit, bis aut ter oxymelite aut poſca conſpergito, namque ita ſtatim ab caſeo ſerum ſecernitur. Secretum cribro ſetaceo excolabis, atque vbi craſſa et pituitoſa excrementa redundare opinaberis, oxymeliti admiſcebis: vbi vero acria et biblioſa, tum poſcam potius adiicies. Seri vſus ad imbecillos eſt, et inedia

grauiter affectos, primoque ſerum cum ſale exhiberi oportet: vbi vero purgatio incoeperit, tunc ſal remoueri, idemque per interualla alternatim repeti debet, donec ſatis materiae purgatum ſit: copia pro virium ratione expendenda eſt. Ac licet non multum peccaueris, ſi plus etiam exhibueris, certa tamen menſura ad heminas quinque accedit. Talis igitur ſit praeparationis modus, tametſi Cares ſecus conficiant, trito enim cnici ſemine lac coagulantes, poſtea excolantes, adiecto ſale aut marina aqua, rurſus decoquunt, atque ita propinant. Quod quidem ſicuti efficacius, ita longe inſuauius eſt, omninoque prolixae decoctiones medicamentoſius ſerum efficiunt. Si vero quispiam vehementiori euacuatione indiguerit, thymi triti admiſceto tres aut quatuor drachmas: quam ſi adhuc augeri velis, pro thymo epithymi tantundem adiicies. Medicamenta tamen vitari oportet, niſi magna neceſſitas vrgeat. Serum ſimpliciſſimum mollioribus corporibus praecipue conuenit, quorum ventres tantum et inteſtina abluere purgareque cogitamus. Idem his quorum inteſtinum a quacunque medicina facillime vlceratur; et quorum ventres biliosa intemperies vexat: et quos angunt inania egerendi deſideria quae tineſmi vocantur? et quorum renes, veſica, et vterus vlceris periculum ſubeunt: et gracilibus qui non aluntur purgatione nihilominus indigentes, his omnibus ſerum exhibendum, nec ſale, nec quopiam medicamento adiecto.

Pue-

Pueris, mulieribus, ſenibus tutiſſime datur haec medicina vel ſub ipſo canis feruore, quo praecipue tempore reliqua omnia medicamenta ſuſpecta ſunt. Efficaciori ſero vtetur aliquis ad corpora et morbos, quae validioribus praeſidiis indiguerint, praeſertim ad diuturna exanthemata, liuentesque varos, ad omnesque humorum deprauationes in cutim tendentes, vt lepram et conſimilia, ad antiqua ferinaque vlcera, ad capitis achores, et huiusmodi. Idem ad oculos aſſidue fluentes, ad palpebrarum ſcabiem, ad faciei maculas, imo et ad diuturnas febrium periodos, et ad hos qui ab aduerſa valetudine in hydropem pergunt. Haec fere Galenus.

Serum vulgus medicorum aquam lactis aut caſei vocant, tenuior enim lactis et aquoſa pars eſt, et tanquam ſanies diluta. Non laudo qui lac corruptum, aut lactis fecem definierunt. Virg. Acremque Moloſſum paſce ſero pingui. *ὀῤῥὸν* Graeci cum duplici aut ſimplici *ῥῶ* proferunt. Videtur a maſculino articulo et *ῥόος* compoſitum, quae vox fluidum liquorem indicat. Aut a ſolo *ῥόος* per metatheſim *ὀῤὸς* factum eſſe. Vtrouis modo ſcriptum ſyllabam vltimam acuit. *ὄῤῥος* enim paroxytonum per duplex *ῥῶ* tantum inuenitur, idem quod *ὀῤῥοπύγιον*, vel *ὀρθοπύγιον*, vel *εὐροπύγιον* ſignificans, hoc eſt infimam ſpinae dorſi partem, vbi vertebrae deſinunt, incipiunt nates. Phauorinus Camers Serum, inquit, alias *τυρόγαλα* vocatur. *Ὀῤῥοῦσθαι* eſt ſereſcere, id eſt in ſerum abire. Plinius,

nius, Omne autem lac ab igne ſpiſſatur, frigore ſereſcit. Lucilius tamen Latino vocabulo pro ſereneſcere et ſiccari vſus videtur, cum canit:

Denique fluctiuago ſuſpenſae littore veſtes
Vueſcunt, tandem candenti ſole ſereſcunt.

Fortaſſis et ſerum appellatum fuerit, quod ſerenior haec pars lactis, nimirum magis clara, tenuis, limpida inſtar aquae, minusque craſſa ſit. Sereum et ſeroſum, Graecis ὀῤῥῶδες, non aliud quam aquoſum, fluxum et tenue ſignat. Serum iam multo potentiſſimum quidam ad tertias decoquunt, et ſub dio refrigerant. In Erythea iuxta Gades inſula vnius ſtadii patente freto, lac ſine ſero premi tradunt, vt Strabo retulit, tanta pinguitudine, vt in caſeo conficiendo, aqua diluatur. Bubulum ante omnia orthopnoicis prodeſt cum naſturcio ſerum. Aſininum potum podagra chiragraue multos prorſus liberauit.

De butyro, ex Galeno.

Butyrum ex lactis praeſertim bubuli pinguiſſima parte fit maturandi viribus, cum aliqua ſimul diſcutiendi facultate, quae tantum facere poteſt adhibitum mediis inter duritiem mollitiemque corporibus: horum enim inflammationes maturat, ac facile diſcutit, vt parotidas, inguina, oris inflammationes, aliosque, non paucos affectus in pueris et mulieribus ſaepe hoc ſolo praeſidio ſanauerimus. Nam duriorum corporum tumores praeter naturam butyrum nun-

nunquam diſcutiet: ſcreatibus vero thoracis ac pulmonis, et laterum morbis cum melle mirifice confert: ac ſi ſolum quidem lambatur, efficacius maturat: ſin cum melle et amaris amygdalis, minus quidem maturat, ſed magis ſcreatus euocat.

De caſeo, ex Galeno.

Caſeum quem probem nullum habeo, praeter qui oxygalactinus dicitur, quoniam ex acido lacte fiat. Omnes enim concoctu difficiles ſunt, ructus acidos excitantes, ventriculumque flatu replentes. Pro conditurae vero ratione ab coagulo acrimoniam comparant, humoremque penitus, praeſertim veteraſcentes amittunt: quando etiam ſeipſis acriores, calidiores, ſiticuloſiores, concoctu difficiliores, peiorisque ſucci fiunt: vt ne id quidem ad noxam tollendam ſufficiat, quod alioqui conferre ſolet, miſcere inquam cum craſſioris ſucci cibariis, quod attenuare poſſit acrimonia ſua. In caſeo enim antiquo longe maius a ſucci prauitate, et ab incendente humiditate nocumentum acquiritur, quam quod attenuandi vis corrigere valeat. Fugiendus igitur huiuſcemodi caſeus, nullius omnino particeps boni. Recentiorem vero omnibus praeferendum cenſeo, quem oxygalactinum vocari diximus. Cibo enim iucundus, et ſtomacho prae reliquis cunctis innoxius, neque ita difficulter concoquitur, difficulterue diſtribuitur, neque adeo craſſo ſucco conſtat, quae omnium

omnium caſeorum communis infamia eſt. E caeteris recens ſemper antiquo praeſtat: mollis duro: rarus laxusque valde denſo et compacto: quique dulciſſimus eſt, ei qui plurima ſalſedine offendit: ſicut moderate ſalſus, ei qui aut nimium, aut nihil ſalis habuerit: guſtu iucundus, ingrato: aſſatus crudo praefertur. Caſeus vero elixatus, longe ſolidior eſt, omnes tamen reprobandi.

Medicamentum Galeni ex caſeo antiquo ad calloſos nodos podagrarum.

Cum arthriticus quidam calloſos in articulis nodos habens ad me in curru delatus eſſet, occurit animo crus ſuis ſale maceratum ac peruetuſtum decoquere, et eius decocto vetuſtiſſimum caſeum madefacere, quem deinde in mortario exquiſite ſubactum calloſis nodis applicarem. Re ita peracta cum ſine inciſione effracta eſſet cutis vltro, quotidie nodorum partes replebantur: quam vtilitatem vir ille expertus, ſimilem caſeum ſecum detulit, non alio in poſterum medicamento vſus. Cumque exacte profeciſſet, amicos hoc ipſo morbo laborantes ad idem peragendum hortatus eſt.

De vi recentis caſei, ex Galeno.

Caſeus recentiſſimus humeſcensque adhuc creditur maximo his eſſe adiumento, qui ſpumam argenti biberint, ſi aſſidue pro cibo offeratur. Poteſt et illitus ſanguinolenta ſimpliciaque vulnera glutinare, additis vitis, aut lactu-

lactucae, aut betae foliis, aut lapathi, aut platani. Repellit enim et mediocriter refrigerat. Caſeus vero oxygalactinus ampla etiam vulnera glutinat et diſcutiendi vim habet.

Plura de butyro.

Butyrum vim ſuam in mollibus praecipue corporibus oſtendit. Dentientibus pueris continue illitum, nihilo ſegnius melle gingiuas attenuat, vnde dentes emergunt. Idem oris omnes inflammatorios affectus, poſtquam humor influens repreſſus eſt, diſcutit et concoquit. Itaque cataplaſmatis miſcetur forinſecus imponendis ad parotides, hypochondria, et bubones.

Βούτυρος aut βούτυρον ſiue maris ſiue neutro genere pronuncietur, nihil refert. E pinguiſſima et oleoſa lactis parte fit, interdum vna cum caſeis relinquitur, ſeiuncto ſolum ſero: vnde caſei quandoque tam optimi, vt adipoſum humorem deſtillent. Butyrum ſpuma lactis eſt, concretius quam ſerum. Hippocrates alicubi vocauit picerion, interprete Galeno in gloſſis Hippocraticis. Butyrum a boue nominatur, e cuius lacte copioſiſſimum confit, vt miretur Dioſcoridem Galenus, quod ex caprino et ouillo confici lacte dixerit. Ex caprino tamen fieri ſolere, teſtis eſt Plinius.

De butyro, ex Dioſcoride.

Commendatur in primis e pinguiſſimo lacte butyrum, tale autem ouillum eſt. Paratur

etiam de caprino, in vaſis lacte concuſſo: quidquid enim ineſt pingue, iactatu a reliquo ſecedit. Natura ei oleoſa, lactis fere vim ſequitur, eoque ciet ventrem affatim hauſtum. Abſentis olei vice, contra venena, ſubſtituitur. Cum melle gingiuis affricatum dentitionem promouet. Pruritus quoque gingiuarum ante dentitionem mitigat. Aphthas, id eſt oris vlcera, puerorum ſanat. Foris illitum, pingue corpus et nitidum ſeruat. Puſtulas, quas Graeci pſydracia vocant, arcet. Vteri inflammationes duritiasque butyrum ſanat, quod virus non reſipit, neque vetuſtum eſt. Inteſtinis iniicitur ad ſua tormina, quae dyſenteriam vocant: et ad Colon exulceratum. Vtile fuerit mixtum his quae ſuppurationem accelerant. In primis neruorum, membranarum cerebri, veſicaeque colli vulneribus applicatur. Replet, expurgat, carnem producit. Aſpidis morſus alexicacum eſt. Olei loco in obſonia, adipisque vice in dulciaria coniicitur.

Fuligo ex butyro quo modo colligatur, ex Dioſcoride.

Butyrum in lucernam nouam ingeſtum accenditur, fictilique operculato, quod ſuperne in ſiphunculi ſpeciem deſinat, et infima parte cuniculus clibani modo habeat, crematur. Subinde aliud in abſumpti locum ſufficitur, dum coaceruetur fuliginis modus, quem facere inſtitueris. Penna poſt deraditur ad vſus. Eius effectus eſt in medicamentis oculorum exiccare, et

et aſtringere. Fluxiones cohibet, et vlcera ad cicatricem perducit.

Plinius lib. 11. cap. 54. Quaedam rurſus exiguo guſtu famem ac ſitim ſedant, conſervantque vires, vt butyrum, vt hippace, glycyrrhizon.

Ex Plinio de lactis vſu aduerſus venena.

Aſinino lacte poto venena reſtinguuntur. Peculiariter ſi hyoſcyamum potum ſit, aut viſcum, aut cicuta, aut lepus marinus, aut opocarpaſum, aut pharicon, aut dorycnium: et ſi coagulum alicui nocuerit: nam id quoque venenum eſt in prima lactis coagulatione. Sed meminiſſe oportebit recenti vtendum, aut non multo poſtea tepefacto. Nullum enim celerius euaneſcit. Lacte equino venena leporis marini, et toxica expurgantur. Sic quoque lacte bubulo cuncta venena expugnari tradunt, maxime ſupra dicta, et ſi ephemerum impactum ſit, aut ſi cantharides datae, vomitione omnia egeri. Sic et caprino iure cantharides. Contra ſanguiſugas potas butyrum remedio eſt, cum aceto ferro calefacto, quod et per ſe prodeſt contra venena. Nam ſi oleum non ſit, vicem eius repraeſentat. Multipedum morſus cum melle ſanat. Caprinus caſeus recens, his qui viſcum biberunt: lac vero contra cantharidas remedio eſt, et contra ephemerum potum cum taminia vua. Haec Plinius.

Lac muliebre temperatiſſimum eſt, mox caprillum, hinc aſininum, ouillumque, poſtremo vaccinum. Aegineta.

Aſininum conferre aliquid candori in mulierum cute exiſtimatur. Poppea certe Domitii Neronis coniunx, quingentas per omnia ſecum foetas trahens, balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens.

Ex Dioſcoride quaedam de lacte, in ſuperioribus minus explicata.

Lac inteſtinorum et ſtomachi inflationes facit. Aluum minus mouet caprinum, propterea quod caprae multo aſtringente pabulo vtuntur, quercu, lentiſco, olea et terebintho: quam ob cauſam ſtomacho etiam vtile eſt. Bubulum, aſininum, equinumque magis aluum ſoluunt. Aluum ſtomachumque euertit lac, vbi pabulum fuerit ſcammonia, veratrum, mercurialis herba, aut clematis. In Iuſtinis montibus caprae veratri albi tenera folia depaſcentes tum ipſae vomunt, tum lac vomitorium reddunt. Datur lac recens cum crudo melle, admixta aqua et exiguo ſale contra ſummae cutis prurigines, papularum eruptiones, et cacochymiam, id eſt prauos humores. Semel decoctum minus inflat. Alui fluoribus, et exulceratis interaneis medetur ignitis calculis ad dimidias decoctum.

Serum lactis his datur, quos ſiue acrimonia purgare voluerimus, quales erunt, atra bile labo-

laborantes, comitiales, leprae, elephantiaſes, et toto corpore papularum eruptiones. Secernitur autem omne lac, et fit quod Graeci σχιϛὸν, id eſt ſciſſile nominant, in nouo fictili feruens, recenti ficulnea rude agitatum, vbi bis terue inferbuerit, totidem aceti mulſi cyathi ſuperinfunduntur, quot lactis heminae ſunt, ſic enim diſcedet a lacte ſerum. Oportet tamen, ne dum coquitur feruore redundet lac, ſpongia ex frigida aqua continue fictilis labra perfricare, argenteumque ſextarium frigida aqua plenum in lac demittere. Datur bibendum hoc ſerum heminis per interualla temporis vsque ad quinas. Verum a potu eius ſpatiari bibentes per interualla illa temporis oportet. Facit praeter ſupra dicta recens lac ad letalium venenorum eroſiones incenſionesque, quales in cantharidibus fiunt, picearum erucis, ſalamandra, bupreſtide, et aconito. Contra colchicum ſiue ephemerum priuatim ſuam laudem habet bubulum. Colluuntur lacte ſalubriter oris et tonſillarum exulcerationes. Aſininum praecipue gingiuas et dentes gargariſſatum confirmat. Tineſmis, aluique fluoribus vlceratis calculis littoralibus ignitis decoctum lac prodeſt. Idem infunditur clyſtere per ſe, aut cum ptiſana, aut halicae ſucco, mirifice leniens inteſtinorum eroſiones. Infunditur et vteri vlceribus. Lac ſchiſton vocatur quaſi ſciſſile ac diuiduum, quoties videlicet concretam eius partem, quae caſealis dici poteſt, ab ſeroſa, vt Galeno placet, ſeparamus. Impro-

prie tamen ſchiſton, inquit, lac nonnulli appellant id, in quo aut littorales calculi, aut ferrum ardens reſtinctum ſit.

De humano lacte.

Dulciſſimum eſt hominis lac, idem maxime nutrit. Prodeſt ſtomachi, id eſt oris ventriculi eroſionibus, et tabi ex ipſo vbere ſuctum. Bibitur contra potum marinum leporem vtiliter. Inſtillatur cum thure cruentis ex ictu oculis. Contra podagras cum cera et opio vtiliter inungitur. Nutricis lac probandum guſtu et viſu: illo ſit dulce: hoc album et aequale. Inter ſubtilitatem et craſſitiem medium. Vitioſum enim aut craſſum eſt. caſeo plenum aut liquidum et ſeroſum: aut pallidum, aut ſpumoſum, aut viroſum, aut tetri odoris, aut quod velociter aceſcat, aut quod guſtanti amaritudinis, vel ſalſedinis, vel alicuius diuerſae qualitatis ſpeciem inferat. Sint hae tibi vitioſi et inutilis lactis notiones, quibus coniiciens mulierem morboſam eſſe, ad aliam vertaris: diuitibus vero praeſtat plures habere nutrices. Vtiliſſimum lac eſt cum ex ipſis mammilis quis hauſerit: veluti Euryphon, et Herodotus, et Prodicus cenſent, qui tantam in eo ad corpora reficienda fiduciam habuerunt, vt etiam qui phthoe contabuerant, ex ipſa mulieris papilla lac ſugere iuberent. Verum cum hoc plurimis non placeat, melius eſt calens adhuc ex mammillis id in aegri ventriculum quam ocyſſime transferre. Ac optimum

mum quidem, vtpote cognatum, muliebre lac eſt. Sed quoniam id exhiberi ſibi ceu pueris plerique recuſant, vtique aſininum ipſis dari conueniet. Ad vehementes oculorum dolores, ac inflammationes lac iuuenculae, ſimulque boni ſucci foeminae, vt dolores mitiget, humorumque leniat acrimoniam ex vberibus exprimitur in cotem, in qua collyrium teritur, quo calidum adhuc oculis infundatur.

Lac mulieris ante ſeptimum menſem inutile inſalubreque. In omni vſu praefertur eius, quae geminos enixa fuerit: tum eius quae marem fere. Inefficax eius quae ſequiorem ſexum edidit. Eius quae marem peperit lacte guſtato, canes rabioſos fieri negant. Archigenes omne lac incommodum eſſe calculoſis pronunciauit praeter aſininum, quod ſubſtantia tenuiſſimum eſt et facultatis facilime diſſoluentis. Igitur mirabiliter articulorum tumores et nodos (quos ad calloſae duritiei modum ex vitioſi lactis vſu pueri ſuſtinere coguntur) leuigat et delet: vnde admonendum duxi, vt ipſum calculoſis aſſidue heminae menſura exhibeatur, poſt matutinas deambulationes, atque id adſeruandi a lapidis generatione gratia, prae omnibus aliis fiat. Meminit horum Aëtius in curatione lapidis veſicae. Idem ſcriptor alibi de ſuppuratis renibus tractans, his verbis vtitur: Lac itaque cum melle poſt puris eruptionem eis praebendum: et primum quidem aſininum aut equinum, ad vlcera enim repurganda conducit:

quum vero repurgatione amplius opus non habent, et morſus fiunt obtuſiores, indigetque aeger nutrimento, tunc etiam bubulum lac eis exhibendum II. aut III. heminarum menſura. Amplius autem omne lac recens mulctum calidum praebendum eſt, animali in domum vbi aeger decumbit deducto: hoc et aliorum internorum vlcerum optimum eſt pharmacum, et graui puri maxime amicum, et corpus probe nutrit.

Aetius de cura teneſmi.

Poſt clyſteris vſum, ſi quidem ſtercorum multitudo in caeco inteſtino ſit: ſin minus, poſt fomenta pectini inguinibusque admota, exhibendum eſt lac caprinum recens mulctum heminae menſura, nequaquam minus: verum non aceruatim, ſed ſigillatim partitum. Sequenti deinde die lac ipſum ad dimidium decoquatur, ablato eo quod in decoctione concretum ſuperſtat, atque ita exhibeatur.

Quomodo aluum fluxione laborantem curare oporteat.

In biliofis fluxionibus lac bubulum aut caprinum tepidum recens mulctum auxiliatur in potu: aut ad ignem decoctum aſſidueque agitatum, donec ad tertias ſit reductum: quod ipſum et per fluuiales ſilices (κάχληκας Graeci vocant) ferrique laminas igni candefactas ac in lacte extinctas, fieri poteſt. Caeterum in decoquen-

quendo ſuperſtantem concretionem ſiue ſpumam myſtro aut pinna auferre oportet. Hoc enim nullum compendioſius remedium ad fluxiones bilioſas reperire poſſis. Quandoquidem autem febricitantibus lac ipſum in nidorem aut etiam acorem conuerti conſueuit, maiusque nocumentum quam commoditatem inferre: tùnc ſane in praeſens, ipſum exhibere vitabimus: aquae vero quarta parte ad lac ipſum affuſa, decoctionem faciemus, donec dimidium eius conſumatur, atque hoc modo exhibebimus. Haec eadem fere alibi tradit in coeliacorum diaeta, ita exhibitum ſimul ſiſtere ac temperare fluxiones inquiens.

De lacte in grumos coacto.

Lac cogulatum multum aut aceruatim hauſtum, ſuffocationem aliquando frequentem infert in grumos coaleſcens. Auxiliatur autem his coagulum omne, maxime vero leporinum, quod ex aceto bibere ſaepius cogimus. Siquidem coagulum recens quidem lac cogit et inſpiſſat, quod vero iam coactum eſt, ex natura ſua diſſoluit. Dantur eis et calaminthae viridis aut aridae folia, aut ſuccus. Item baccae iuniperi, laſerpitii radix, laſer cum poſca, thymum ex vino, lixiuia figulorum, et quaecunque ſanguinem in grumos denſatum ſunt prodita. Sed nulla ſalſilago obiiciatur, quoniam magis lac coiret, et in caſeum denſaretur. Neque illos vomere conuenit, ſiquidem concretum lac ſeſe in

in gulae anguſtias inſinuans, ſtrangulat. Caeterum non ſimpliciter lac coagulatum veneni maleficium habet, alioqui nullus eſſet in cibo eius vſus: ſed quod antequam concreuerit, admixto illi coagulo, aliquis biberit. Coit enim in ventriculo, et coaguli vi, quod admixtum habet, concreſcit in grumos, concretioneque illa interiores obſtruit meatus, obſtrúſisque his ſtrangulationes facit. Haec Marcelli Vergilii ſententia eſt in ſuis annotationibus in Dioſcoridem, a qua cum nulla authoritate defendatur ipſe diſſentio, et ſimpliciter lac in ventre coagulari accipio, quamuis nullo ei mixto coagulo, ſed ob aliud quodpiam ventriculi aut lactis vitium. Iubent enim medici lac ſtatim mulctum bibere, et in phthiſi ex ipſis ſi fieri poſſet vberibus ſugi. Sin minus animal in domum aegri ducendum, vt ſtatim adhuc calidum bibatur. Tale lac nimirum nondum ſibi mixtum habet coagulum, neque enim caſeis faciendis deſtinatum eſt, periculum tamen ne in ventre aliquibus concreſcat, niſi ſal et mel addatur. Solum aſininum huius periculi expers eſt. Caprinum vero prae caeteris facilius in caſei ſpeciem coit. Sed quoniam hoc periculum ſale ac melle mixtis cauetur, operae pretium fuerit optimi quoque mellis notas calluiſſe, ſunt autem hae: Mel ſubſtantia et qualitate ſit optimum, ſibi vndique cohaerens et ſimilare: digito etiam glutinis more, dum eleuatur pertinaciter firmatum, in terram non defluat. Non craſſius ſit, nam ita ceroſum

roſum: nec liquidius quoniam excrementoſum foret: verum vtriusque exceſſus medium ſit oportet. Colore praeterea eſto flauo, odore ſuaui, non admodum thymum, et nihil omnino externum redolens. Guſtu denique acuto, iucundoque. Huiusmodi mel tepidum lacti permixtum, ipſum in ventre coaleſcere non ſinet, quinimo diſtributionem per corpus quoquo verſus accelerabit. Aſininum ita cum melle mixtum Galenus iuueni, qui fere contabuerat a balneo, ſtatim exhibuit. Nicandri Colophonii verſus, quoniam grauiter eleganterque lactis in ventre coagulati remedia proponunt, viſum eſt aſcribere, quae in Alexipharmacis extant, vt ſequuntur;

Ἢν δ᾽ ἐπιθρομβωθῇ νεαλὲς γάλα τεύχεϊ γαστρός,
Δήποτε τὸν δέτε πνιγμὸς ἀθροιζομένοιο δαμάζει.
Τῷ δήτοι τρισσὰς πόσιας πόρε μέσσα μὲν ὄξευς
Δοιὰς δὲ γλυκέος, στεγανὴν δ᾽ ὑποσύρεο νηδύν.
Ἢ ἔτι καὶ λιβύηθε ποτῷ ἐγκνήθεο ῥίζας
Σιλφίου ἄλλοτ᾽ ὀποῖο, νέμοις δ᾽ ἐς βάμματι τήξας.
Πολλάκι δὲ θρύπτειραν ἐπεγκεράσαιο κονίλην.
Ἠὲ νέον βρυόεντα θύμου στάχυν, ἄλλοτ᾽ ἀμύνει
Βότρυος εὐκνήμοιο μίγα βρεχθέντος ἐν οἴνῃ,
Ἐν καὶ που ταμίσοιο ποτὸν διεχεύατο θρόμβους.

Καὶ χλοερὰ μίνθης ἀποφυλλάδες, ἠὲ μελίσσης,
Ἠὲ καὶ ἐν ςύφοντι ποτῷ μεμορυγμέναι ὄξευς.

Haec nos ita conati ſumus Latina facere:

In grumos fuerit ſi lac in ventre coactum,
Ingens diſcrimen fit ſuffocatio praeſens.
Tu miſcebis alexicacum, quod habebit aceti
Partem vnam, paſſique duas, hoc hauriet aeger:
Radicesue bibet Libycae telluris alumnas
Laſeris, aut ſuccum quem vis diſſoluit aceti.
Aſt alias cunilae mollis medicamina potu,
Aut thymi flores feliciter experietur.
Et botrus potuit mixtus prodeſſe Lyaeo.
Quinetiam grumos potata coagula delent.
Et virides menthae frondes, quas melle Napæo
Iungis, opem ſperare iubent, acidoue liquore.

De coagulo,

Coagulum a cogendo, id eſt coagmentando, dicitur ea pars viſcerum, qua ad denſandum lac vtimur. Tibullus,

Et miſcere nouo docuiſſe coagula lacte.

Quicquid denſat et coniungit coagulum dicitur. Gellius, Vinculum illud coagulum animi atque amoris. Eſt et herba coagulum, ſeu potius ſpongia aquarum dulcium, quam alii conſeruam a vulneribus ferruminandis appellarunt. Graeci coagulum πικτύαν et πιτύαν vocant: inde πιτύνη, id eſt cnicus, vulgo car-

tamus

tamus quod eius ſemine lac coaguletur. Τάμισον poëtae vocant, forte ob ſecernendi vim, nam τάμνω Dores pro τέμνω, quod eſt ſcindo et ſeparo. Plinius ex hoedo laudat, Ariſtoteles ex hinnulo, praecipuum tamen daſypodis, hoc eſt leporinum, vnius vtrinque dentatorum, quod et profluuio alui medetur. A pitya pityinam vulgo dici (inquit Hermolaus) concretum igni ſerum, et quod in caſeum coire non potuit, exiſtimo. Πιτύα forte dici πηττύα debuerat, a verbo πήσσω et Attice πήττω, id eſt coagulo. In quibusdam exemplaribus πυτία legitur. Εμπυτιαθὲν γάλα, lac eſt in ventre coagulatum. Coagulare verbum habet alia quoque ſignificata. Gellius, Semen in vtero mulieris primis ſeptem diebus conglobatur, coagulatur, fitque ad capiendum figuram idoneum.

Galenus de coagulo.

Omne coagulum acris eſt et diſcuſſoriae facultatis, et proinde ſiccantis etiam, quod ad ſuperiora neceſſario conſequitur. Caeterum leporis quidem comitiales ſanare proditur cum aceto bibitum, et mulierum fluxiones ſiſtere, lac in ventriculo coagulatum ſoluere, cuius nos quoque periculum fecimus, non in leporino tantum, ſed et aliorum animalium coagulo. Quamuis illud praeſtantiſſimum ſit. Diſſoluit praeterea ſanguinem in ventre conglobatum ſimiliter potum, leporinum forte prae caeteris, non tamen ſolum vt quidam tradidere, ſed hoc etiam

etiam omni coagulo commune eſt. Sunt qui ſanguinis e pectore ſputa in potu leporis coagulum cohibere ſcripſerunt, ſed cum acre hoc pharmacum ſit, neque ego auſus ſum vti, neque alium vtentem vidi in huiusmodi affectu, qui aſtrictoria eget opera. Nonnulli equinum ad inteſtinorum tormina et coeliacos priuatim conferre literis mandarunt. Dioſcorides addit venenatorum morſibus obſiſtere cum vino trioboli ſumptum pondere: quo modo ad ſuperiores quoque affectus, iam e Galeno relatos, vſurpare iubet. Pares leporino vires habent hoedi, agni, hinnuli, dorcadis, capreae, quam a latitudine cornuum platycerota dicunt, dorci, cerui, vituli, et bubuli coagula. Omnia contra aconitum e vino, vt ad ſanguinem concretum ex aceto pota, faciunt. Ariſtoteles coagulo lactis ſubſtantiam eſſe ſcribit.

Iterum de caſeo, e Dioſcoride.

Recens caſeus ſine ſale multum alit, facilius digeritur, corpus auget, aluum leniter mollit. Differt pro lactis varietate ex quo conficitur. Elixus, expreſſusque, mox aſſus, retinet aluum; prodeſt oculis inflammatis illitus, ſugillatisque. Minus nutrit recens et nuper ſale aſperſus, quinimo corpus minuit, ſtomacho inutilis, aluum et inteſtina tentans. Vetuſtior ventrem ſiſtit. Caſei ſerum canibus plurimum alimentum praeſtat. Hippace caſeus equinus eſt, viroſo odore, multum tamen nutrit, et bubulo

bulo quodammodo ſimilis eſt. Sunt qui equinum coagulum hippacen nominauerunt.

Hippocrates maximus medicinae author, et totius naturae peritiſſimus, Scytharum inuentum hippacen eſſe ſcripſit, eſſeque quod in equino lacte in alueolis ſubacto in fundo ſubſederit, quo gens illa quotidie veſcatur. Glycyrrhiza, id eſt dulcis radix, ſitim reſtinguit, ſi teneatur in ore. Qua de cauſa Scythae hac contenti, decem, duodecimque dies degunt, et vitam non aliter quam hippacae eſu prorogant. Quod Plinius vndecimi voluminis calce confirmat. Quaedam enim exiguo victu famem ac ſitim ſedant, conſeruantque vires vt butyrum, hippace, glycyrrhizon. Hippaceu apud Theophraſtum Theodorus equeſtrem vertit, quaſi radix eſſet dulci radici par ingenio ad abigendam ſitim famemque. Sed Dioſcoridis Pliniique teſtimonio conſtat hippacen equinum eſſe caſeum, non radicem aut herbam. Nec id prodigioſum videbitur, qui Plinium audiuerit referentem Zoroaſtrem in deſertis caſeo vixiſſe annis viginti, ita temperato vt vetuſtatem non ſentiret. Plutarchus Sympoſiacorum quarto, memoriae prodidit conſimile nonnihil, Soſaſtrum nullo alio potu ciboue quam lacte totius vitae curriculo victitaſſe. Quapropter in alterutro mendi vix faceſſet ſuſpicio, niſi vtrolibet eadem vox lectitetur: ſed aliorum ſit hoc iudicium, ſat nobis fuerit huius diuerſitatis obiter hoc in loco commonuiſſe. Hermolaus tamen vna litera diſcernit,

cernit, ſic vt hippice herbam, hippace caſeum deſignet.

Caſeus a coacto lacte dictus videtur: nam fit lacte coagulato, hoedino in primis vitulorumue coagulo. Primus id coagulare, et caſeum, vt volunt, conficere monſtrauit Ariſtaeus Atheniensis. Τυρὸν Graeci vocitant, a verbo τυρέω vel τυρεύω, id eſt conficio, paro, et aliquando perturbo. Eadem in voce paſſiua, vt τυροῦσθαι, in caſeum denſari notant. Τυρῶδες caſeoſum indicat, quod plurimum ſubſtantiae caſei, minimum ſeri obtinet. Τυρόκνηστις inſtrumentum iam dictum eſt. Idem vero ciuitatis cuiusdam nomen a muliere quadam appellatae, quae prima lac in caſeos ſpiſſauit. Σημαίνει δὲ καὶ σχῆμά τι ἀκόλαστον. Caſeale apud Columellam lib. 2. cap. 15. videtur locum ſignificare, in quo aut fit, aut ſeruatur caſeus.

Ex Varrone de re ruſtica.

Eſt lac omnium rerum, quas cibi cauſa ſumimus, liquentium maxime alibile, et id ouillum, inde caprinum. Quod autem maxime perpurget, eſt equinum, tum aſininum, deinde bubulum, tum caprinum. Sed horum ſunt diſcrimina quaedam, et a paſtionibus, et a pecudum natura, et a mulctu. A paſtionibus, quod fit ab ordeo et ſtipula, et omnino arido, et firmo cibo pecude paſta, id alibile: ad perpurgandum, id quod a viridi paſcuo, et eo magis fluxe ex herba, quae eadem ipſa ſumpta perpur-

gare

gare corpora noſtra ſolet. A pecudum natura, quod lac melius eſt a valentibus, et ab iis, quae nondum veteres ſunt, quam ſi eſt contra. A mulgendo, atque ortu optimum eſt id, quod neque emunctum longe abeſt a mulſo, neque a partu continuo eſt ſumptum. Ex hoc lacte caſei qui fiunt, maximi cibi ſunt bubuli, et qui difficillime tranſeant ſumpti. Secundo ouilli: minimi cibi et qui facillime deiiciantur, caprini. Eſt etiam diſcrimen vtrum caſei molles ac recentes ſint, an aridi et veteres. Cum molles ſunt, magis alibiles, in corpore, non reſides, veteres et aridi contra. Caſeum facere incipiunt a vergiliis vernis exortis ad aeſtiuas vergilias. Mulgent vere ad caſeum faciundum mane, aliis temporibus meridianis horis, tametſi propter loca et pabulum diſparile, non vsquequaque idem fit. Lactis duobus congiis addunt, coagulum magnitudine oleae, vt coeat: quod melius leporinum et hoedinum quam agninum. (Capit autem congius olei libras nouem, vini decem, mellis tredecim, et dimidiam. Sextario nomen quod eum ſexies congius capiat. Videtur et a congio nomen noſtræ menſurae natum, quam indigetamus **ein Schopff**, Graece χοῦς dicitur, idem fere pondus, ſicut et cum quartario noſtro choenici veterum. Porro libram 12. vnciarum accipies. Noſtta enim cui nomen **ein Pfund** a voce pondo Romana mina potius dicenda eſt quam libra, vncias capit 18. media inter minam Romanam quae 20.

conſtat

conſtat vnciis, et Atticam Aegyptiamque vnciarum ſedecim, qualis fere hodie in Germania vſurpatur, nos tantum duabus vnciis excedimus *).

Alii pro coagulo addunt de fici ramo lac, et acetum, et aſpergunt item aliis aliquot rebus, quod Graeci appellant alii ὀπὸν, alii δρακόντιον. Non negarim, inquam, ideo apud diuae Rumiae ſacellum a paſtoribus ſatam ficum. Ibi enim ſolent ſacrificare lacte pro vino, et pro lactentibus. Mammam enim rumim ſiue rumam ante dicebant, et inde dicuntur ſubrumi agni lactentes. Quin aſpergi ſolent ſales, melior foſſilis quam marinus.

Palladius de caſeo faciendo.

Maio menſe caſeum coagulabimus ſincero lacte, coagulis vel agni, vel hoedi, vel pellicula, quae ſolet pullorum ventribus adhaerere, vel agreſtis cardui floribus: vel lacte ficulno, cui ſerum debet omne deduci, vt et ponderibus vrgeatur. Vbi ſolidari coeperit, loco opaco ponatur, aut frigido, et preſſius ſubinde adiectis pro acquirenda ſoliditate ponderibus, trito, ac torrefacto ſale debet aſpergi, et iam durior vehementius premi. Poſt aliquot dies ſolidatae iam formulae per crates ita ſtatuantur ne inuicem ſe contingant. Sic autem loco clauſo, et a ventis remoto, vt teneritudinem ſeruet

*) Parentheſi incluſa verbis Varronis interſeruimus.

ſeruet atque pinguedinem. Vitia caſei ſunt, ſi aut ſiccus ſit, aut fiſtuloſus: quod eueniet, aut ſi parum prematur, aut ſales inimicos accipiat, aut calore ſolis vratur. In recenti caſeo conficiendo aliqui nucleos virides pineos terunt, atque ita miſto lacte gelant. Aliqui thymum tritum, et frequenter colatum congelant. Qualemcunque etiam ſaporem velis, efficere poteris, adiecto, quod elegeris, condimento, ſeu piperis, ſeu cuiuscunque pigmenti.

Caſei faciendi ratio, authore Columella.

Caſei quoque faciendi non erit omittenda cura vtique longinquis regionibus, vbi mulctram deuehere non expedit. Is porro ſi tenui liquore conficitur, quam celerrime vendendus eſt, dum adhuc viridis ſuccum retinet: Si pingui et opimo, longiorem patitur cuſtodiam, ſed lacte fieri debet ſincero, et quam recentiſſimo. Nam requietum, vel miſtum celeriter acorem concipit. Id plerumque cogitur agni, aut hoedi coagulo, quamuis poſſit et agreſtis cardui flore conduci, et ſeminibus cneni, nec minus ficulneo lacte, quod emittit arbor, ſi eius virentem ſaucies corticem. Verum optimus caſeus eſt, qui exiguum medicaminis habet. Minimum autem coagulum recipit ſinum *) lactis argentei pondus denarii.

*) Sinus, vel ſinum, genus eſt vaſis ſinuoſi, ſicut et galeola. Virg. Sinum lactis, et haec tibi liba Priape quotannis expectare ſat eſt.

rii *) Nec dubium quin fici ramulis glaciatus caſeus iucundiſſime ſapiat. Sed mulctra cum eſt repleta lacte, non ſine tepore aliquo debet eſſe. Nec tamen admouenda eſt flammis, vt quibusdam placet, ſed haud procul igne conſtituenda, et confeſtim cum concreuit, liquor in fiſcellas, aut in calathos, vel formas transferendus eſt. Nam maxime refert primo quoque tempore ſerum percolari et a concreta materia ſeparari. Quam ob cauſam ruſtici nec patiuntur quidem ſua ſponte pigro humore defluere, ſed cum paulo ſolidior caſeus factus eſt, pondera ſuperponunt, quibus exprimatur ſerum. Deinde vt formis, aut calathis exemptus eſt, opaco, ac frigido loco, ne poſſit vitiari, quamuis mundiſſimis tabulis componitur, aſpergitur tritis ſalibus, vt exudet acidum liquorem. Atque vbi duratus eſt, vehementius premitur, vt conſpiſſetur: et rurſus torrido ſale contingitur, rurſusque ponderibus condenſatur. Hoc cum per dies nouem factum eſt, aqua dulci eluitur, et ſub vmbra cratibus in hoc factis, ita ordinatur, ne alter alterum caſeus contingat, et vt modice ſiccetur: deinde quo tenuior permaneat, clauſo neque ventis obnoxio loco ſtipatur per complura tabulata. Sic neque fiſtuloſus, neque ſalſus, neque aridus prouenit. Quorum vitiorum primum ſolet accidere, ſi parum preſſus: ſecundum, ſi nimio ſale imbutus: tertium, ſi ſole ex-

*) Denarius idem quod drachma ein Quentchen oder Settet.

exuſtus eſt. Hoc genus caſei poteſt etiam trans maria permitti. Nam is, qui recens intra paucos dies abſumi debet, leuiore cura conficitur, quippe fiſcellis exemptus, in ſalem muriamque demittitur, et mox in ſole paulum ſiccatur. Nonnulli antequam pecus numellis *) inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt, et mox ſuper eas emulgent, nec ſeparant, niſi cum transmiſerint in formas coactam materiam. Ipſos quidam virides conterunt nucleos, et lacti permiſcent, atque ita congelant. Sunt qui thymum contritum, cribroque colatum cum lacte cogant. Similiter, qualiscunque velis, ſaporis efficere poſſis, adiecto quod elegeris, condimento. Illa vero notiſſima eſt ratio faciundi caſei, quem dicimus manu preſſum. Namque is paulum gelatus in mulctra, dum eſt tepefactus, reſcinditur, et feruente aqua perfuſus, vel manu figuratur, vel buxeis formis exprimitur. Eſt etiam non ingrati ſaporis muria perduratus, atque ita maligni ligni, vel culmi fumo coloratus.

Berytius de caſeo faciendo apud Conſtantinum Caeſarem de re ruſtica, quem doctiſſimus vir Ianus Cornarius nuper Latinitate donauit. libro 18. cap. 19.

Plerique caſeos conglutinant, eo quod aliqui ſuccum ſiue opon, plurimi autem ex agricolis

*) Numellae ſunt vincula, quibus inſerto capite ceruix tenetur.

colis pityan, id eſt coagulum nominant: praeſtat hoc ex hoedis: quamquam et ſal torrefactus lac coagulet, et fici ſuccus, et teneri ipſius ramuli aut folia, et pili qui in verticulis cinarae herbae enaſcuntur, qui alias inepti ſunt ad cibum, et piper, et domeſticae gallinae pellicula, quae intra ventriculum ſtercori deſtinata eſt, echinus, id eſt *) erinaceus ab aſpritudine Graecis appellata, ceu cortex quidam pecora cum acerbo pabulo vtuntur, praeſtantius lac reddunt, et multo magis a cytiſo. Durat lac ad triduum, ſi pridie quam reponas in vas effuſum ac ferueſactum rurſus in aliud transfuderis, et ferula aut harundine moueris, donec frigeſiat, modicumque ſalem inſperſeris. Tener et mollis diutius manet caſeus, cnici ſemine ex aqua tepida exceptus, aut eodem cum melle tepido adiecto. Perdurat integer aqua potabili lotus, et in ſole ſiccatus, ſi in fictilibus componatur cum thymbra aut thymo, ſeparatis inuicem quantum fieri poteſt caſeis, qui ſic componuntur, deinde aceto dulci, aut aceto mulſo affuſo, donec liquor per omnes progreſſus ſupereminеat. Quidam caſeos in aquam marinam coniectos aſſeruant. Albus manet caſeus in muriam iniectus. Solidior vero et acrior ſuper fumum poſitus. Videtur autem omnis caſeus, ſi in legumen et maxime ciccerculam aut piſum coniiciatur, durabilior fieri. Si vero ob vetuſtatem

*) Aliter haec reddita ſunt quam apud Cornarium.

ſtatem durus aut amarus ſit, in omelyſi permadeſcat. Eſt autem omelyſis farina ex hordeo non torrefacto, deinde in aquam caſeus mittatur, et poſtea quod in ſuperficie haeret adimatur.

Probatio lactis, an aquam contineat. Ex eodem.

Lac probabis an aquam habeat, iunco acuto immiſſo et extracto, lacteque ad vnguem inſtillato. Si enim cito ab ipſo defluxerit, aquam ammixtam habet; ſi vero permanſerit in vngue, integrum exiſtit.

Caſeus non fit ex vtrinque dentatis. Bubulum caſeo fertilius quam caprinum lac, ex eadem menſura, vt Ariſtoteles tradit, pene altero tanto. Quae plures quaternis mammas habent, caſeo inutilia: et meliora quae binas. Caſeus infumatus laudabatur a veteribus: nec hodie contemnitur. Omnis porro caſeus ſenectute fit ſalſus, ſed in muſteum redit ſaporem aceto e thymo maceratus. Barbaros caſeo non vſos tradunt, ſed in iucundum tamen acorem lac ſolitos cogere, quod et oxygala vocatum ſit, cuius mentionem ſupra fecimus. Caſei genus ſaprum, quaſi putrem dicas, faciunt vtilem coeliacis. In Plinio legendum ſit epityrum, an caprarum in mentione caſei libro 11. controuerſum diu fuit: Ipſe non epityrum (verba ſunt Hermolai Barbari) ſed caprarum

 lego:

lego: non quia epityrum oliuae fractae genus ſit, vt quidam putant, quandoquidem oliuae genus illud pityrum et pityrida, non epityrum vocari conſtat: Sed illa ratione potius, quod niſi caprarum gregibus ſua laus eſt, in recenti maxime eam augente fumo gratiam: et reliqua ſi legamus, vix ſtabit ſenſus, niſi plane quis extorqueat. Praeterea cum de bubulo et ouillo caſeo diſſeruiſſet author, maxime ſequens erat, vt de caprino quoque loqueretur: ne quia ſit omnium fere deterrimus, improbari omnino iudicaretur. Adde quod infumari non alius magnopore caſeus quam caprinus aſſolet. Nec fere placet niſi muſteus atque recens.

Quamuis autem Hermolaus refragari videatur epityrum oliuae genus ponentibus, euidens tamen fiet, qui Marcum Catonem legerit, epityrum ex oleis cuiuscunque coloris condimentum eſſe, cum aceto, oleo, coriandro, cymino, foeniculo, ruta, menta. Hoc Varro ſcripſit edulium Siciliae, quam Italiae frequentius eſitari. Mentionem quoque Plautus epityri fecit. Errant igitur etiam illi qui cibum caſeatum interpretantur. Diuerſum ab hoc xeriam tyron Pollux videtur vocaſſe, Siculum edulium id eſſe affirmans. Dubitat Hermolaus an placentae genus hypotyris idem ſit cum epityro: Sed longe diuerſa eſſe, conſtat ex Athenaei verbis hypotyridas hunc in modum parantis. Mel et lac coniectum expreſſumqne in fictile mittitur, et

cogi

cogi coaleſcereque ſinitur, et in tenuia, ſi adſint, incernicula ſubiecto vaſe miſta coniiciuntur, vt ſerum profluat: ſin deſint, vtendum flabellis, quibus ignis ventilatur; nam eorum ſupplent inopiam. Cum ſatis videbitur concreviſſe, in argenteum vas transferenda. Haud ſcio an haec etiam argyrotryphemata liceret appellari, quae conſtat eſſe lactarium opus. Trans maria caſeus Bithynus fere in gloria erat, Salonites ab oppido appellatus. Gallici ſapor medicamenti vim obtinet: nunc a Ciſalpina Gallia commendantur Placentini maxime. Formaginem *) Theodorus pro caſeo cur dixerit, aut quem authorem ſecutus ita verterit, quod Ariſtoteles trophalida ſcripſit, niſi quod in Columella forte legit concretum lac in fiſcellas aut in calathos, vel formas transferri ſolitum, non video. Aliubi Theodorus idem trophalida coloſtrum interpretatur, neutrum ſatis probat, Hermolaus ait. Caſei diſcrimina pulcherrime Antiphanes poëta reddidit. Χλωρόν, id eſt recentem atque mollem Latini muſteum vocant, qualis in fiſcella fertur, ob id fiſcellis vocatis, quia inde caſeum abliguriunt: ξηρὸν, id eſt aridum, atque vt Iulius Pollux interpretatur, macilentum: κοπτόν, id eſt praedurum: nam et copta Rhodia, et copta ficus hinc nomen tulere: ξυστόν, id eſt tonſilem atque raſilem: nam et horti ſic dicuntur: τμητόν, id eſt ſciſſilem: πηκτὸν, id eſt coagu-

*) Formago Gallis caſeus eſt.

coagulatum coloſtratumque. Eum qui aceſcere incipiat, et lacte ficulneo coierit, opian vocant. In Creta caſeos quibus lata forma eſt, ſed gracilis, θηλείας, hoc eſt, quaſi foeminas appellant. Athenaeus Latina voce vſus fumoſos caſeos appellat. Laus caſeo Nemauſenſi, Leſurae, Gabalicique pagis. Alpino duobus generibus. Docleati ex Dalmatia. Vatuſico ex Centronia. Cebano e Liguria, & Apennino maxime lactis ouium. Auximati ex Vmbria. Item Lunenſi magnitudine conſpicuo ſingulis quandoque milibus pondo. Idem Veſtino Cruſtuminoque Acceditio campo. Siculum Iulius Pollux meminit et Ariſtoteles ex ouillo et caprino mixtum lacte. Quod hodieque fit vbi vtriusque copia habetur. Hunc Athenaeus praeferri putat omnibus, vtique poſt Achaicum ex oppido Tromilia, vnde Tromiliscus dicatur, et a Simonide Stromilius ex caprino lacte. Extat et Phrigius apud Ariſtotelem ex equino aſininoque fieri ſolitus. Velabrenſes caſei dicti caprini, quod fumo apud Romanos in Velabro condirentur. Prima nobilitas in Italia caſeo datur Parmenſi his temporibus, cum olim ſecunda Ianis daretur. Si cerebrum muſtelae coagulo additum fuerit, neque a muribus, neque a vetuſtate caſeos corrumpi in Plinii commentariis legitur. Audio etiam Ari folia impoſita caſeos a vermibus defendere, eius herbae nomen integrum lingua noſtra ſeruatur. Fit quoque caſeus, quem Secundarium vocant, ex ſero primi

caſei

caſei, lento igne, ſiue potius tenui flammula, modico tamen lactis addito, tam diu ebulliente, donec ad ſummum natauerit, Recoctam Itali paſſim vocant, candida eſt, et quaſi ſpongioſa, nec guſtu inſuauis, multisque herbaceis pulmentis adhibetur. Salita etiamnum vice caſei vtuntur ruſtici, ſemipagani, et tenuioris cenſus, paupertinaeque conditionis homines in cibariis.

Allium ſylueſtre retinet odoris ſui virus adeo pertinax, vt pecudum lac, quae comam eius depauerint, alliа ſuboleat. Et licet in butyrum et caſeos coaluerit, non exuit illam odoris grauitatem, praeſertim in eo quod veſperi mulgetur. Sed cum in plura genera allium ſylveſtre diuidatur, in primis viroſum eſt quod in opacis ſyluis exilit, folio fere liliaceo, minori, vnico vt plurimum, interdum bino, cum cauleſcit vt florem et ſemina maturet, quod vernacula lingua Rampſeren appellat, flores albi ſunt, eodemque colore radix, bulbo tenui oblongo, caule dodrantali, ſemine nigro. Fortaſſis hoc ophioſcorodon fuerit. Vt aliud quod in aruis ſponte naſcitur, caninum a noſtra gente dictum, ampelopraſum videtur. Quinetiam hominis allio in cibis vſi, maxime crudo, vrina foetet. *Ξενοκράτους τυρίον*, hoc eſt Xenocratis caſeolus in proverbium de cibo qui diutiſſime durat, antequam conſumatur.

Tradunt enim frugaliſſimum philoſophum Xenocratem ſaepenumero obſonia iam rancida

abieciſſe, neque rarenter eueniſſe, vt cum cadum aliquem relinere vellet, iam vinum reperiret in acorem verſum. Iuſtinus libro 13. Ariſteum in Arcadia late regnaſſe ſcribit, eumque primum et apum et mellis vſum, et lactis et coaguli hominibus tradidiſſe.

Melcae praeparatio compendiaria Paxami.

Praeparatio Melcae extemporalis et praeſtantior fiet hoc modo. Nimirum ſi in fictilia vaſa noua acetum acre immiſeris, poſuerisque ipſa in calidum cinerem, aut ad lentum ignem, id eſt, ad prunas, et vbi paululum efferbuerit acetum, vt a vaſis combibatur, vaſa de prunis detraxeris, et in eadem vaſcula lac miſeris, atque ipſa in arculam aut ciſtam, aut vbi immota maneant depoſueris. Sequenti enim die melcas multo praeſtantiores habebis, quam ſunt quae multa arte parantur. Vaſcula tamen, poſtquam ſemel aut iterum ipſis vſus fueris, permutabis. Haec apud Conſtantinum Caeſarem leguntur in fine lib. 18. de re ruſtica. Mentionem melcae fecit Galenus libro 7. Methodi therapeuticae ad Eugenianum his verbis: Vidiſti igitur et tu quosdam vno die, vel potius hora frigida potione leuatos, quorum aliis non aquam modo dedi fontanam recentem, ſed etiam quae niue eſſet refrigerata, velut Romae præparare ſolent, præcalfacientes prius, quam ipſi de-

decocta *) appellant. Cibos praeterea ad eundem modum refrigeratos identidem me illis permittere vidiſti, in quibus eſt et quam melcam vocant, vnus is quoque Romae laudatorum ciborum, veluti etiam aphrogala. Haec Galenus de curatione calidae ventriculi intemperiei: in qua curanda Aegineta quoque melcam exhibet, et oxygala, et poſcam. Rurſus Galenus in libro de cibis boni et mali ſucci, melcam vocem eſſe Romanam aperte teſtatur, eiusque refrigeratae cibum mediocrem aeſtatis tempore conuenire, quamquam non omnino vſum eius probet. Apud Germanos vox melca lactis ſignificationem habet, et ex Graeco ἀμελγεῖν facta videri poteſt. Hermolaus ruſticos butyrum non aliter fere quam melcen appellare ſcribit, et eſſe quosdam quibus melce idem quod oxygala videatur. Sed non idem eſſe ex Aeginetae loco iam citato patet, quoniam ſimul vtrumque nominatur; aliqua tamen eius ſpecies intelligi poteſt. Vetus interpres Galeni loco melcae Iuncatam reddit, ita enim vulgus Italorum vocat lac recens coagulatum; vt formam elegantiorem accipiat, iuncis calathisue iunceis incluſum. Calepinus iunculos hoc operis lactarii genus appellat, authore nullo citato. Prius tamen ibidem iunculos ex opere dulciario cibum interpretatur, qui ad ſimilitudinem iuncorum

*) Nero in extrema rerum deſperatione aquam ex ſubiecta lacuna potaturus hauriens dixit: Et hæc eſt Neronis decocta.

rum figuratus fuerit, quales hodie in opere piſtorio venales conſpiciuntur.

Quid aphrogala.

Dicendum ordo poſtulat aphrogala quid ſit, ſuperius in Galeni verbis pariter cum melca nominatum: ſed cum neque nomen idem, neque interpretatio eius apud alios authores ſiue Graecos ſiue Latinos, quod quidem ſciam, extet, agendum nobis coniectura fuerit, vt ſuſpicari, ſi non certo interpretari liceat. Igitur in promptu dictante vi nominis aliud nihil accipio, quam quod idem nomen apud Germanos habet, nempe lac ſpumoſum, quod adeo longis vaſis concutitur, vt nihil iam praeter ſpumam appareat, - quare in ſuperiori Heluetia in primis hyeme paratur, quoniam ſpuma tum frigoribus denſata diutius perduret, et quo libet vehere liceat, et refrigeratum ſtomacho ſit gratius. Hoc aliqui vocant niuem, quod ipſam ſpecie ſua repraeſentet et qualitate gelida. Quamquam alibi etiam alias parent. Si quis tamen ſolam lactis ceu ſpumam ſuperſtantem intelligat, nihil impedio, parum enim refert concuſſamne an ſine concuſſione ſpumam actu frigidam calido ventriculo propines: mihi vero magis arridet concuſſa, vtpote gratior, et minus pinguitudinis continens. Porro *γραῦς* et *ἐπίπαγος* ſignificant cruſtulam illam quae in lacte, aut alio pingui liquore in ſuperficie concreſcit, dum coquitur, et extantem ſpumam, nimirum

a co-

a colore cano. Hinc iocus extat in anum quae ollam capite ferebat in Pluto Comoedia Ariſtophanis:

Καὶ μὴν πολὺ τῶν ἄλλων χυτρῶν τἀναντία
Αὗται ποιοῦσι, ταῖς μὲν ἄλλαις γὰρ χύ-
τραις
Ἡ γραῦς ἔπεστ' ἀνωτάτω, ταύτης δὲ νῦν
Τῆς γραὸς, ἐπιπολῆς ἔνεισιν αἱ χύτραι.

Hoc eſt,

A caeteris quam plurimum iſtae differunt
Ollis, videre in caeteris enim licet
Anum ſupra ollas, hic modo contrario
Nouoque videas, quod ſit olla ſuper anum.

Γραῦς enim et anum mulierem, et oleoſam in iuſculis lacteque ſuperficiem indicat: praeterea lineam illam in littore aut ripa, quam ſpuma deſcribit. Pueri noſtri floccos niuium cadentes anus eſſe clamitant. Omnibus occaſionem metaphorae dedit canicies.

De variis operibus lactariis.

Ἔλεσμα vel *ὄψον διὰ γάλακτος* Graeci lactarium opus vocant. *Τροφαλίδα* alii oblongum caſeum exponunt, alii rotam caſei Siculi: cum enim pecoribus abundet Sicilia, optimum et plurimum caſeum parat. Melicratum antiqui mellis et lactis miſcellam nominarunt: poſteriores autem Homero ad nos vsque aquam mulſam, id eſt mel aquae mixtum.

Me-

Μελίκακι dandi caſu explicari inuenio pro cibario e caſeo. *Διὰ βουτύρου* apud Oribaſium legi, ſi bene memini: intelligitur pharmacum, aut eclegma, id eſt illinctus butyro et melle conſtans vtilis anaphoricis, qui difficulter excreant, maturat et coquit pituitam in pectore. Oportet autem paulatim ſub lingua liqueſcat, vt hypoglottides, arteriacae, et eligmata omnia. Noſtri in ciborum deliciis habent. Lacti autem potius mel calaminum id eſt ſachar admiſcent, vt lautius melle, minusque faſtidioſum. Quod in plerisque noſtrum ſeculum obſeruat, et meo quidem iudicio recte facit, cum mel optimum non facile ſit inuenire. Sachar vero laudat Galenus quoque libro 8. Methodi medendi inter detergentia quae febribus conueniunt, medio loco inter mulſam et oxymeli, id eſt acetum mulſum reponens. Plinii temporibus medicinæ duntaxat vſui accommodabatur, nunc tam vulgare, adeoque gratum eſt, vt prouerbiale ſit nullum ferculum corrumpi ſacharo. Sed reuertor ad inſtitutum. Lac ſacharo conditum augere corporis habitum, et genituram fertur. Conditur et ſachare melca ſiue lac nuper coagulatum vna cum butyro, qui cibus variis floſculis infixis coronatus conuiuiis introfertur. Maij menſis edulium vocant, quod eo tempore maxime fiat, verna pabuli ſuauitate in lac et butyrum redundante.

Coqui

Coqui opus quoddam tanquam ex lacte ſingunt: Oryzam bene tritam cum amygdalino lacte (de quo ſupra) coquunt ad ſpiſſitudinem: effuſum deinde refrigeratumque in tomos ſecant, tum recens amygdalinum lac affundunt, et amygdalas auro, alioue pigmento coloratas immittunt. Lautiores auri vel argenti folia aqua mulſa madefacta iniiciunt, et goſſipio ſicubi non bene inhaeret, comprimunt, vt ſuperficies plana ſit. Manibus tangi non debent, et ſi opus ſit forficibus ligneis eleuari. Lac coeruleum ſi facere volueris, amygdalinum cum cyani *) floris ſucco para, loco aquae. Huic deinde oryzam, aut far incoquere licebit. Aliud cibarium ex amygdalis lac coagulatum referens. Amygdala tuſa per ſetaceum transferes cum aqua, deinde calſacies ad ignem ſemper agitando rude, miſcebisque ius piſcium, ſiue de pedibus vitulinis aut ouinis gelatum, ac vteris frigefacto. Caſeus ex amygdalino lacte **). Amygdalinum lac ouis temperato, ſalitum decoquito, et ſi libet crocum adiice, aut alia quaelibet aromata. Iam denſatum igne cochleari diligenter permiſcebis, et impones ſetaceo, vt quod liquidius eſt defluat, tandem ſacharatum conuiuis appones. Catatyron condimenti nomen eſt e caſeo apud Athenaeum,

Quae

*) *Cyanus flos*, blaue Kornbluhmen.

**) *De hoc et ſequenti mentio fiet etiam inferius ex Platina.*

Quae deinceps ſequuntur edulia numero nouem, ex M. Catone deſcripta ſunt. Libum hoc modo facito, caſei pondo II. in mortario bene diſterat: vbi bene detriuerit, farinae ſiligineae libram, aut ſi voles tenerius eſſe, ſelibram ſiliginis ſolum eodem indito, permiſcetoque cum caſeo bene, ovum I. addito, et vna bene permiſceto. Inde panem facito. Folia ſubdito, in foco calido ſub teſtu coquito leniter. Placentam ſic facito. Farinae ſiligineae libras II. alicam in aquam infundito: vbi bene mollis erit, in mortarium purum indito, ſiccatoque bene. Deinde manibus depſito: vbi bene ſubactum erit, farinae lib. IV. paulatim addito, id vtrumque tracta facito. In qualo, vbi areſcant, componito: vbi arebunt componito puriter, tum facies in ſingula tracta. Vbi depſueris, panno oleo vncto tangito, et circumtergito, vngitoque vbi tracta erunt: focum, vbi ea coquas, calefacito bene, et teſtum. Poſtea farinae lib. II. conſpergito, condepſitoque. Inde facito ſolum tenue caſei ouilis P. XIII. ne acidum ſiet, et bene recens in aquam ter indito, ibi macerato, aquam ter mutato. Inde eximito, ſiccatoque bene paulatim manibus, ſiccum bene in mortarium imponito. Vbi omnem caſeum bene ſiccaueris, in mortarium purum manibus condepſito, comminuitoque quam maxime. Deinde cribrum farinarium purum ſumito, caſeumque per cribrum facito tranſeat in mortarium. Poſtea indito mellis boni P. IV. S. id

vna

vna bene commiſcero cum caſeo. Poſtea in tabula pura, quae pateat pedem I. ibi balteum ponito, foliaque laurea vncta ſupponito, placentam fingito. Tracta ſingula in totum ſolum primum ponito, deinde de mortario tracta linito, tracta addito ſingulatim, item linito vsque adeo, donec omnem caſeum cum melle abuſus eris. In ſummum tracta ſingula indito, poſtea ſolum contrahito, ornatoque focum de iunipero, temperatoque. Tunc placentam imponito, texto caldo operito, pruna inſuper, et circumoperito. Videto, vt bene, et ocioſe percoquas, aperito, dum inſpicias bis aut ter: vbi cocta erit, éximito, et melle vngito: haec erit placenta ſemodialis.

Spiram *) ſic facito: quantum voles pro ratione, ita vti placenta ſit, eadem omnia facito, niſi ſic alio modo fingito in ſolo tracta, cum melle oblinito bene. Inde tamquam reſtim tractes facito, ita imponito in ſolo, de implicis completo bene arcte. Caetera omnia quaſi placentam facias, facito, coquitoque. Scriblitam ſic facito. In balteo tractes caſeo, ad eumdem modum facito, vti placentam ſine melle, coquitoque. Globulos **) ſic facito. Caſeum cum ali-

*) Spiram funi nauticò in orbem conuoluto ſimilem eſſe aiunt.

**) Fortaſſe ſunt quos Syracuſani epicyclios vocabant.

alica ad eumdem modum miſceto: Inde quantos voles facere facito, in ahenum caldum vnguen indito. Singulos aut binos coquito, verſatoque crebro duabus rudibus, coctos eximito. Eos melle vngito, papauere infriato, ita ponito. Enchytum ſic ad eumdem modum facito, vti globulos, niſi calicem pertuſum cauum habeat: ita in vnguen caldum fundito: hoc in reſtim quaſi ſpiram facito: idque duabus rudibus verſato, perfrigitoque. Item vngito, coleratoque, caldum ne nimium, id cum melle, aut cum mulſo apponito.

Erneum tanquam placentam facito, eadem omnia indito, quae in placentam, et permiſceto in alueo. Indito in hirneam fictilem, eam demittito in aulam aeneam aquae calidae plenam. Ita coquito ad ignem: vbi coctum erit, hirneam confringito, ita ponito. Sauillum *) hoc modo facito. Farinae ſelibram, caſei pondo II. S. vna commiſceto quaſi libum, mellis P. S. et ovum. Catinum fictile oleo vngito. Vbi bene omnia commiſcueris, in catinum indito. Catinum texto operito: videto vt bene percoquas medium, vbi altiſſimum eſt: vbi coctum erit, catinum eximito, melle vngito: papauere infriato, ſub textum ſubde pauliſper, poſtea eximito: ita pone cum catino, et lingulis. Pultem Punicam ſic coquito. Libram alicae in aquam indito, facito vt bene madeat, Id infundito in-alueum

*) Athenæus ſubityllum nominat.

alueum purum, eo caſei recentis P. III. mellis P. S. ouum vnum, omnia vna bene permiſceto. Inſipito in aulam nouam. Huc vsque *M.* Cato.

Empeptas triticeus panis eſt cauus, crepidae non diſſimilis, in cuius ventrem caſeariae placentulae vt in thecam condi ſolebant. Nanos placentaceus panis eſt, caſeo et oleo conſtans. A caſeo et vſu cribi tyrocoſcina dicuntur, quae ſic parabis. Preſſum bene caſeum in vas mittito, et per aereum cribrum ſuperpoſitum cernito, cum offerendi tempus aderit ſatis mellis ſuperponito. Ἄρτος ἁπαλὸς, id eſt panis tener apud Athenaeum, e lacte modico, oleo, et ſale fit. Oportet autem materiam eſſe mollem. Hic et Capadocius a loco dicitur, vbi plurimum paratur. Syri Lachman vocant, apud quos optimus habetur, eſturque calidiſſimus. Streptitius panis apud eumdem lacte pauco excipitur, cum pipere, et oleo modico, vel adipe. Artolaganum quoque apud Athenaeum eisdem conſtat, ſed additur parum vini. Cubi Athenaeo quadrati ſunt panes, anetho, oleo, caſeoque conditi. Idem author panem quendam τυρῶντα, quaſi caſeoſum vocari ſcribit, qualis autem ſit ſilentio praetermittit. Alibi de placenta dicit apud Graecos πλακόεις πλακοῦς adiectiuam eſſe vocem, vt ſubintelligatur ἄρτος, id eſt panis: quemadmodum in σησαμόεις σησαμοῦς, et τυρόεις τυροῦς. Staetitas ex adipe, melle, ſeſamo, caſeoque fit. Nanus eſt pla-

centaceus panis e caſeo, ac oleo. Choria, ſunt cum lacte melleque edulia: vt hypotyrides. Phthoem ita fingunt. Preſſus caſeus teritur, et aeneo cribro colatur, dein mel et ſiliginis hemina in vnum ſubacta coguntur. Praeterea fiunt ex caſeo placentæ, ſcirbætiſſus, bitullus, lucolli, argyrotryphemata, libi, circi ſiue circuli, aexaphae, cruſtoplacuntes, oryzitae. Deinceps in Galliis vulgares placentas, quae quidem lacte caſeoue conſtant ex Ruellio proponemus. Vulgatiſſimum igitut apud Gallos bellarium fingitur e polline vel ſimila cum lacte, ouis et butyro ſubacta, conſperſis veteris caſei micis: hoc in circinatae rotunditatis paſtillum colligitur, et furno mandatur excoquendum. Hoc quod ventris modo iuxta vmbilicum intumeſcat. Gallico ſermone gaſter, vel gaſtellus nominatur. Ex eisdem omnibus iam dictis coactam offam piſtores in tenuiſſimas lamellas digerunt, et aliquo pingui, vel potius butyro ne membranae coaleſcant, interiecto, craſſiuſcula omnes inuoluunt cruſtula, figura et rotunditate ſuperioris ſeruata. Vbique in Gallia gaſter foliatus dicitur, quod velut inſtratis chartarum foliis altera continuo ſuper alteram inſidente quandam librariam exhibeat imaginem. Neutrum tamen Creteńſem gaſtrin eſſe conſtat, cum ratio parandi longe varia ſit. Matronae placentam cum feriantur conficiunt triangularem, ex ſimila cum ouis, lacte et butyro in panificium ſubacta, capaci intus ventre, quem per dehiſcentem rimulam vetere com-

complent caſeo, et furno dum eliqueſcat, et torreatur caſeus, excoquunt: rura Galliae gonarias vel goieras ab angulis fortaſſis appellant, Eae non multum diſſidere videntur, ab iis quas empeptas ſupra diximus appellari, cum caua ſint panificia, quorum hiantes vteros caſeariis implent placentulis: empeptae forſan dictae, quod inteſtinam deſiderent coctionem. Conſimile omnino genus tenent, quae a calceari figura vulgus Gallicum calceolos vel calſeones appellat, quorum ventris ſinus caſeo, polline ex aqua vel lacte ſubacto refercitur, id quod etiam placentulae genus exiſtimatur. Ruri tamen complures diſſectis (viliore fartura contenti) fruſtatim pomis ex foeniculi ſemine complent. Sunt qui capacitatem hanc cribrato tenuiter caſeo ſolum offerciant, quae tyrocoſcina Graece dici poſſent, a caſeo et vſu cribri donato nomine.

Aliae etiam circinata rotunditate finguntur ex conſimili materia interiecto vetere caſeo creto: aut in taleolas diſſecto: Galli vulgo ratones vocant, quod lienis farti modo tumeant. Hoc enim viſcus raten nominant: quod vbi humore multo turget, in rotunditatem fere contrahitur: ſplenia forſitan Graecis dicta, de quibus tantum legi ea eſſe colore candido. Libi tamen circi genus eſſe creduntur, qui ex farina, aqua et caſeo fiebant fuſo aequaliter circuitu. Sequuntur popelini in Gallia vocati, quaſi popinales dicas. Fiunt ex polline, lacte, ouorum

luteis ſubacto: quae in circulares offas conglomeratae dantur furno igne flagranti, vt exterior pars in cruſtam occaleſcat, interna in rimas et cauernulas dehiſcat: quae poſtmodum ſuperiore cruſta in orbem circuitumue adempta, butyro recenti et inſulſo abunde ſatiantur: et vbi totum ebiberunt nouo imbutae, repoſita cruſta, molliuſculo igne coquuntur, et ita placentae butyro ſaturatae, vel vt potius dicam ebriae, menſis offeruntur. E conſimili panificio in latiores capacioresque circulos explanatę fingunt marginulis obſepientes, ne qui induntur liquores effluant, arcente ambitu. Capacitatem caſeo vel recenti vel vetuſto cum momento butyri complent margine tenus, interdum coloſtro, nonnunquam tritis nucibus ãmygdalis: aliquando tritis pomis, prunis, vuis quoque immaturis inferciunt, ſed tam concinne, vt perſaepe pars capacitatis vna caſeo, altera coloſtro, tertia prunis aut pomis dignoſcatur oppleri, ſemper tamen inſperſa ſacchari copia, vt fructuum dometur acrimonia, ſimul vt a lacte cita vindicetur corruptio. Galliae vulgus ſua lingua gauritem et gaurulam nuncupant, quaſi eſcharitem extritis aliquot literis, ſiue placentae ſiue potius panis genus. Pinſita recte farina veteris caſei fruſta conuoluunt, et candentibus igne ſubiecto grandibus ferramentis, in fauorum ſpeciem interne concauatis, quae longis manubriis cancellatim cohaerentibus clauo committuntur, vt poſſint premi: quod inditum vbi coctum

coctum eſt ab igni demitur fauaceam referens imaginem. Magno in vſu habentur, qui bunii nomine ſecundis menſis Gallorum circumferuntur, quod forſitan in napi modum intumeſcant: ii Latinis globuli mea opinione dicuntur, et Syracuſanis epicyclii. Fiunt e ſimilagine, liquoribus ouorum et lacte reſoluta, et tantiſper ſubacta dum concrementum retulerint, vt aliorum quae indi aut inuolui libitum ſit, tenax haerensque prehendat. Nam et caſeus qui vetuſtatem ſentit, pomorum fruſta, vuae paſſae, fici et plerique fructus, qui communi ſunt vſu edendo, hoc lentore conuoluuntur, et in ſartaginem vel patinam, quae feruenti oleo vel butyro axungiaue recenti deflagret, demittuntur, et inibi friguntur abunde, et veruculo ab igni demuntur, ſuſpenſa dum quicquid ebiberint olei vel pinguis remiſerint. Ea omnia taganitis referenda putauerim, quae a patellis et ſartagine nomenclaturam deduxerunt: ea bullis quibusdam ab igne citatis extuberant. Adferendum iam aliquid ex Platina Cremonenſi coquo ſcientiſſimo. Igitur EDVLIVM ROMANVM ita parare docet: Farinam puriſſimam cum aqua ſubactam in tabulam extendito, vt fit, cylindro. Inde extractam ad latitudinem vnius digituli concidito. Vitam dices, adeo longa eſt: in iure pingui ac continuo feruenti coqui debet. At ſi in aqua pro tempore coqui oportuerit, butyrum et ſalem indito. Coctum in patinam cum caſeo, butyro, ſaccharo, et aromatibus dul-

cibus transferri debet. FVMENTINVM eodem fere modo fit, ſed aliquanto groſſius, magisque minutim conciditur: conditura eadem quae ſuperior. Torta alba. Libram ac ſemiſſem optimi caſei recentis, praeſertim minutatim conciſam bene tundito. Tunſae ouorum albamenta 12. aut 15. ſelibram ſacchari, ſemiunciam gingiberis albi, ſelibram liquaminis porcini, totidem butyri recentis, lactis quantum ſat erit, admiſceto. Vbi cruſtam, ſubtilem admodum, in textu collocaueris, haec omnia indito, ad focum poſita lento igne decoquito. Super, vt coloratior fiat, carbones in operculum ponito, coctae ac ex textu exemptae, ſaccharum tritum cum aqua roſacea inſperges. Alit haec multum, tarde concoquitur, hepar concalefacit, obſtruit, calculum generat, oculis ac neruis obeſt. Torta Bononienſis. Tantum pinguis caſei, quantum in alba poſui concides ac conteres. Trito, betas, apium, amaracum, lotum conciſum, oua quatuor bene disfracta, tunſum piper, parum croci, multum liquaminis, aut butyri recentis addes, miſcebisque manibus, vt vnum prope corpus fiant. Hanc item in textum ſubcruſtatum ad focum pones. Semicoctae, quo coloratior videatur, ouum cum croco disfractum ſuffundes. Cocta putato, vbi ſuperiorem cruſtulam leuauerit. Haec et ſuperiore deterior eſt.

Offella. Caſei Parmenſis non nimium duri parum, tantumdem recentis teres. Duo ouo-

ouorum albamenta agitabis, paſſulas integras, cinnami, gingiberis, croci modicum ammiſcebis, inuoluesque farinae ſubactae, et bene extenuatae, ad eam quam voles magnitudinem, in furno deinde non nimium coques. Ita enim gratiores ſunt, parum tamen alunt, tarde concoquuntur, obſtruunt, calculos creant. Caſeus frictus. Teſſellas caſei pinguis, nec plane noui, in patella ad id apta cum butyro aut liquamine ſuffrigito.

Vbi tenella eſſe incipient, voluito, ac ſtatim eximito, ſaccharo et cinnamo aſpergendae ſunt, et calidae adhuc edendae. ALITER, Buccellas panis bene vtrimque toſtas, in patellam per ordinem collocato teſſellasque caſei tanquam in tabulatum extendito. Ad focum poſitam, textu operito. Liquefactum caſeum ſaccharo, cinnamo, gingibere, aſpergito, atque ſtatim edito, ſi eſſe malam rem vis. Difficillime enim concoquitur, et male alit, obſtructiones et lapidem gignit.

Rapum armatum. Voluere qui gulam vallatam habent, id rapum armatum dici, quod caſeo tanquam lorica et thorace inuoluitur: quaſi eorum barathra ingreſſura, nequaquam ſine armis tuta videantur. Verum quid prodeſt? quod ad tutelam inuentum eſt, id totum ad perniciem raporum vertitur. Eum malint guloſi, tanquam fortiſſimi in popinis athlethae, armatum hoſtem quam inermem deuorare. Ra-

 pam

pam vel elixam, vel ſub cinere coctam, in teſſellas concides. Idem etiam facies de caſeo ſubrecenti et pingui. Subtiliores tamen hae ſint, quam quae ex rapis. In patellam butyro aut liquamine vnctam, primum tabulatum ex caſeo facies, ſecundum ex rapis, et ſic deinceps, aromatum aliquid aut butyri continuo infundendo. Cito hoc plumentum coquitur, cito etiam edendum eſt. Sed cum ſit pernicioſum, voraciſſimo Domitiano apponatur. Frictellae ex ſambuco. Caſeo trito tum veteri, tum recenti, farinae parum ouorum albamenta quaedam, lactis aliquid, ſacchari pluſculum addes: et ſimul in eodem mortario conteres. Tritis e mortario et in catinum translatis, flores ſambuci integros ſuperaſperges et miſcebis. Hanc condituram, aut manu aut cochleari aut aliqua alia forma in patellam inditam, vbi optimum liquamen, vel butyrum, vel oleum ferueat, coquito. Calidae edantur neceſſe eſt. Ex compoſitione quid proſit obſitue deprehendes. Frictella ex albamento ovorum, polline, et caſeo recenti. Obſeruabis ea omnia, quae paululo ante dixi, excepto lacte, et flore ſambuci. Hoc et ſuperiori inſalubrius. Frictella ex concreto lacte. Lac concretum per denſum ſetaceum tranſeat facito. Serum quod exprimetur cum farina, albamento ouorum, ſaccharo, aqua roſacea permiſceto. Mixta, cochleari paulatim in patellam ex liquamine, aut butyro feruentem, indito. Laedunt hae neruos et oculos.

Eſi-

Eſitium Siculum. Farinam albam, ac bene excretam cum albore oui, aqua roſacea, ac communi bene ſubigito. Subacta in paſtillos in modum paleae ſubtiles, ſemiſſemque oblongos extendito. Hinc ſtilo ferreo admodum tenui excauato. Inde ferrum extrahens vacuum relinquens. Deſiccata ad ſolem huiuſcemodi eſitia, annos duos ac tres durabunt. Maxime vero ſi menſis Auguſti luna fuerint pinſita. In iure pingui decocta, ac in patinas fuſa, trito caſeo, butyro nouo ac recenti, aromatibus dulcibus aſpergi debent. Hoc eſitium duarum horarum cocturam requirit. In vermiculos. Farinam eo modo quo ſuperiorem ſubigito, ſubactam in fruſta digitis reſcindito, vermiculos dices. Ad ſolem deinde ponito, vt ſint bene ſicci, biennio et eo amplius durabunt. Coctos per horam in iure pingui, patinaeque inditos, caſeo trito et aromatibus condito. At ſi dies ieiunii fuerit, cum ſucco amygdalino ac lacte caprino coques: verum quia lac non tantum cocturae requirit, facito prius aliquantulum in aqua ebulliant, deinde lac ipſum addito. Coctos ſaccharo inſpergere memento. Eadem omnium ex farina eſitiorum coctura eſt, croco coloratiores fiant, niſi in lacte decocti fuerint. Concretum amygdalinum in ieiunio. Amygdalas bene tunſas, ſacchari vncias duas, et aquae roſaceae tantumdem addes. Infundes item ex lyco aut tinca parum iuris: ne nimium ſit ſalitum caueto. Tranſmittes haec omnia per ſetaceum in patinam,

nam, ſinesque per noctem quieſcere, mane concretum vt lac reperies. Inuolui item, ſi voles, carice et frondibus poterit, atque inde in patinas transferri. Saccharo ſuffundere, et anneſo condire memento. Parum hoc alit ſtomachum, et pectus lenit, hepar iuuat, genituram auget, et ardorem vrinae ſedat. Recocta ficta. Libram amygdalarum bene tunſam, ſacchari vncias quatuor, aquae roſaceae vnciam vnam, medium cyathum ex ante dictis piſcibus, in vnum miſcebis, mixta in formulam per ſetaceum transmittes. In loco frigido per noctem aſſeruari debet, ſequenti die in patinis aut pinacibus conuiuis appones. Recoctam dices. Butyrum fictum. Libram amygdalarum tunſarum cum medio cyatho aquae roſaceae diſſolues, ac per ſetaceum denſum transmittes; vt autem melius conſtringatur, aut parum farinae ex amylo, aut dimidium cyathum iuris ex lyco addes. Sacchari idem vncias quatuor, et parum croci, vt coloratius fiat, requirit. Haec omnia in vas ad id aptum noctu indes, mane ſi in loco humido reſederit, concretum inuenies. A ſuperioribus nil differt. Hoc Germanicus noſter negat eſſe ſuaue, quia non vngit. Hactenus Platinae Cremonenſis opera lactaria ſcripſimus. Galenus in libro de cibis boni et mali ſucci. Quae ex lacte et caſeo placenta conficitur, craſſi ſucci alimoniam praeſtat, propterea iocinoris meatus obſtruit. Eadem ratione quae ex ſimilagine et lacte, aut quae lagani vel rhyematis quicquam accipit, tum quae ex muſto

muſto et ſimilagine, vel omnino ex triticea farina conficiuntur, praui ſucci omnia ſunt. Quin etiam ipſa per ſe lagana, rhyemataque et bellaria omnia, quae ex tritico confecta ſunt, et fermentatione carent, ac tum potiſſimum vbi nonnihil caſei in ſe habent, ſucci ſunt craſſioris. Sed mea quidem ſententia, quae a nobis modo lagana, ac rhyemata appellantur, veteres communi appellatione itria dixere.

De his quae lactis vbertatem faciunt.

Quinquefolium herba lac augmentat capris ante potum exhibita. Item dictamnus ventribus ipſarum appenſa, aut lac. Cytiſus in pabulo pecora lacte replet. Quamplurimum igitur ipſum in agro eſſe maxime refert, quod gallinis, apibus, capris, bubus quoque et omni generi pecudum vtiliſſimus eſt, quod ex eo cito pingueſcit, et lactis plurimum praebet ouibus: tum etiam quod octo menſibus viridi eo pabulo vti, et poſtea arido poſſis. Mulieres quidem ſi lactis inopia premuntur, cytiſum aridum in aqua macerari oportet, et cum nocte tota permaduerit, poſtero die expreſſi ſucci ternas heminas permiſceri modico vino, atque ita potandum dari, ſic et ipſae valebunt, et pueri abundantia lactis confirmabuntur. Galenus folia cytiſi diſcutiendi facultate praedita ſcribit, vna cum tepida quadam humiditate, ſicut et maluae. Non igitur mirum ſi lac augeat, nam maluae quoque cum radicibus ſuis decoctae ius lac foe-

minis

minis proritat. Anemonae caules et folia cum ptiſana cocta lactis abundantiam in cibo faciunt. Circaeae ſemen in ſorbitione ſumptum lac provocat. Vitis albae ſuccus cum tritici decocto potus lactis abundantiam facit. Satiua lactuca lac promouet. Melanthii ſemen pluribus diebus potum, menſes, vrinam, et lac citat. Foeniculi herbæ cibus, et ſemen cum ptiſana decoctum copiam lactis efficiunt. Echion herba cum vino, aliaue ſorbitione lac augmentat. Halimi radix lactis parit vbertatem. Mouet lac ſiccati anethi comae, et ſeminis decoctum. Ocimum herba locupletat lac. Semen agni, id eſt viticis lacteum ſuccum ciet, menſesque trahit in vino potum, quantum eſt denarii pondus. Sonchi ſuccus in ſorbitione datus lac exuberare praeſtat. Cicer copioſum lac gignit. Nutrici lac imminutum ſi fuerit, ſorbitionibus, et pleniori victu ſuſtentanda eſt, vinum dulce potui dabitur: pectus et mamillas perfricare oportet, quibusdam cucurbitula quoque defixa abunde praeſtitit. Medicamenta vero et ſi lacti generando proficere quidem aliquid ſciam, non tamen frequenter ipſis vti praeceperim, vt quae violentius conſumant. Hic Aegineta eadem recenſet ad lac augendum, quae nos ſuperius ex Dioſcoride, paſtinacae tamen radicem atque ſemen addit. Locus eſt lib. 1. cap. 4.

Gale-

Galenus libro quinto de ſimplicibus medicamentis, lactis genitricem facultatem his verbis explicat.

Communio quaedam eſt ac ſimilitudo facultatum effectuumque promouentium aut ſiſtentium et menſes, et lac, atque ſemen genitale: quibus etiam adiacent vrinas mouentia, et tuſſicularia medicamenta, omnia ſcilicet attenuandi vi donata. Efficiunt autem lac et genituram, quaedam vt medicamenta, quae pituitoſum humorem ita calefaciunt vt in ſanguinis naturam abeat. Quaedam vt alimenta, ex totius ſubſtantiae affinitate, praeſertim ſi boni ſucci et mediocriter humida fuerint, tepidaque caliditate praedita, velut et ipſum lac eſt. Siquidem ſanguis in animali moderatum habet calorem, nimium bilis flaua, vt pituita frigiditatem nimiam. Lac autem inter ſanguinem et pituitam medium caloris gradum obtinuit, non tamen ex aequo vtrinque diſtantem, longius enim a pituita, propius eſt ad ſanguinem. Itaque ſi lac in mamillis defecerit, ſanguinem conſiderabis, qui nimirum, aut paucior, aut prauior inuenietur. Ille victus vniuerſa ratione humectante, calorificaque indiget: Hic, ſi bilioſus fuerit, purgari prius, inde victu, qualis etiam alter opus habet. At ſi pituitoſus, medicamina quidem calida, ſiue primi, ſiue ſecundi ordinis, non tamen ſiccantia poſtulat. Praeferenda quae non ſolum pharmaca ſunt, ſed alimenta ſimul, verbi gratia: eruca, foe-

foeniculum, anethum. Accipio autem et ipſas herbas virentes adhuc humidasque, aridae enim tum ſiccant, tum vltra quam oportet calfaciunt. Sunt huius generis quoque ſmyrnium, apium, lauer, polium, nempe virides antequam areſcant. Quoniam exſiccantia omnem ſanguinis humiditatem depaſta, denſant, pariterque minuunt ipſum: quod ſi calida fuerint, etiam ſupercalſaciunt: ſi frigida, nimium refrigerant. Requiritur autem moderatus calor in ſanguine absque craſſitie, vt lac generare queat. Quare quæ talia ſunt, vt iam diximus, citius extinguunt lac, quam gignunt. At quæ ita calfaciunt, vt ab initio dictum eſt, neque euidenter vllo modo exſiccant, vim habere lactis genitricem non immerito aſſertum eſt. Sed haec numero pauca ſunt, cum non facile ſit, qualem deſideramus inuenire temperiem: infinita autem ea fere, quae lacti officiunt. Nam quaecunque plus iuſto caloris, aut ſiccitatis, aut frigoris obtinent, ea vel qualitate nocendo, vel tota ſubſtantia lac imminuendo, generationem ipſius impediunt.

Haec quidem doctiſſimus Galenus ſcripta reliquit.

Iecur anſeris proceres gulae ſaporis bonitate commendant. Fartilibus creſcit mira amplitudine, et quod mirabilius eſt, exemptum quoque lacte et mulſo augetur. Martialis:

Aſpice quam tumeat magno iecur anſere maius,
Miratus dices, hoc rogo creuit vbi?

Quis

Quis primus tantum bonum inuenerit Scipio ne, an Metellus, viri conſulares, an M. Seſſius eadem aetate eques Romanus, in quaeſtione eſt. Auium vna veſpertilio lac habet, lactatque pullos. Hinc aenigma Germanicis metris vſurpatur hoc ſenſu.

*) *Auis eſt quaedam ſine lingua,*
Vberibus alit altera pullos,
Tertia laetitiam neſcit,
Quarta caret ſanguineo ſucco,
Fructu veſcitur vltima trimo.
Griphum ſolue, et Phoebus eris mihi.

Sunt autem hae aues Ciconia, Veſpertilio, Noctua, Apis, et quae baccis iuniperi paſcitur, inde nominata Germanis, quam aliqui turdorum generi adnumerant. Non mirum vero veſpertilionem lac habere, cum etiam inter Graecorum griphos auis non auis, et noſtra lingua volucris mus appelletur. Haec in praeſentia habui, Auiene chariſſime, quae ex tempore ad te darem de lactis argumento, ex authoribus antiquis et recentioribus primae notae viris magna ex parte deſcripta, qui ſunt: Hippocrates Cous, Galenus Pergamenus, Nicander Colophonius, Dioſcorides Anazarbeus, Aëtius Antiochenus, Paulus Aegineta, Athenaeus, Iulius Pollux, C. Plinius Secundus Véronenſis, L. Iunius Moderatus Columella, M. Cato, M. Terentius Varro, Pal-

*) Sunt anapaeſtici dimetri.

Palladius, Conſtantinus Caeſar, cui Geoponicorum libri Graeci aſcribuntur, Homerus, Virgilius, Martialis. E recentioribus, Hermolaus Barbarus, Calepinus, Perottus, Ianus Cornarius, Marcellus Vergilius, et forſitan alii nonnulli. Potuiſſem adhuc multo copioſius cum aliunde, tum ex medicis haec omnia tractare, quod fortaſſis alias fiet, praeſertim ſi quid apud vos harum rerum peritiſſimos artifices addiſcere licuerit tam in herbaria quam in lactaria diſciplina. Siquidem caſeus veſter Glaronenſis aliquot efficaciſſimis herbis conditur, quod liquido color herbaceus, odor medicatus, et ſapor cum acrimonia quadam gratus, oſtendunt. Quare merito eius ramenta iuſculis adiiciuntur, vtpote ſaluberrima etiam puerperarum.

Non miror, quod nuper accepi Baſileae ex D. Oſualdo Myconio ſacrarum concionum antiſtite doctiſſimo, praeceptore meo, Glaroni apud vos locum eſſe, cuius incolae gelidiſſimam niualem aquam bibant absque omni noxa, ſi modo hoc xyſto caſeo vtantur, aliter incommodum ſentire. In compoſitionem enim ipſius calorificae herbae recipiuntur, de quarum numero eſt, vt audio, nobilis illa aſtrantia, quam alii oſtrutium, imperatoriam, et magiſtrantiam nominant, vernacula lingua Aſtrenz et Meiſterwurz, quaſi omnium radicum magiſtram et reginam apelles. Radix eſt digitali craſſamento, transuerſa repens, odorata, acris, amara,

ra, foris nigra, intus albicans, ſucco praegnans quaſi panaces, caulis aliquando ad cubiti menſuram attollitur, in quo folia ſmyrnii quod vulgo liguſticum dicitur, tenuiora, latiora ſerrata, in circuitu fere terna, ſupra quae vmbella floribus albis, ſemen anethi fere. Prouenit in ſummis montibus, et petroſis. Transplantatur etiam in hortos. Siue laſer hanc Gallicum dicas, vt Ruellius Angelicam, cuius haec fere ſpecies videri poteſt, ita vt ſexu tantum aliqui diſcernant, nam et laſeris duo referuntur genera: ſiue oreoſelinon, ſiue petroſelinum Macedonicum, haud multum retulerit. Mihi ad poſtremum animus inclinat, cuius argumenta plura ſunt. Primo a nomine, quia veteres Eſtreaticum nuncupabant. Secundo, a natalibus, in praeruptis enim montium et petroſis, quamuis et in pratis montanis exilit. Tertio, a ſapore, quem inter omnia apiorum genera acerrimum amariſſimumque habet: ita vt Galenus vniuerſam eius amaritie infici ſcribat. Et ἀντιβαλλομένων Galeno aſcriptorum author in abſentis Gentianæ vicem petroſelinum coniicit, ſicut et Helenium, licet id acrimonia et amaritudine aſtrantiæ noſtræ cedat. Quarto, ab odore, eſt enim odoratum admodum, ac idem ἀντιβαλλομένων ſcriptor apium aromaticum, ipſum vocat. Quinto, a figura, quam foliis et vmbella quodammodo ſimilem apiis habet. Ab effectibus, qui eidem omnes quos veteres deſcripſerunt et praeterea multo plures a noſtra gente ei attribuuntur. Galenus

in Theriacam iniici docet, quod hydropicos plurimum adiuuent, noſtri aquam a præcordiis et vniuerſo corpore amoliri pollicentur. Coli torminibus, vtero, menſibus, et vrinæ ciendis, veneni periculis, partibus et morbis quibuscunque frigidis, et humidis, febribus putridis, et in primis quartanæ, calculo renum, pulmonum et thoracis vitiis, iſchiadi, mortuo foetui et ſecundis trahendis vtiliſſimam faciunt. Sunt qui aluum etiam mouere confirment, tumores et duritias diſcutere. Enumeratæ facultates omnes etiam Smyrnio magna ex parte attribuuntur, et Cilices Smyrnium in Amano monte naſcens petroſelinon indigetant. Eſt tamen infirmius petroſelino, vt apio vehementius, teſte Galeno. Hæc ideo prolixius recenſui, vt caſeum veſtrum commendarem, qui etiam cum laſere, id eſt Batti ſilphio viribus excellentiaque certare queat. Si enim Angelica vulgo dicta laſer eſt Gallicum, vt vult Ruellius, ab aſtrantia profecto ſuperatur. Non ſum ignarus Hieronymum Tragum ſaxifragam illam, quæ pimpinellam facie refert, petroſelinum Macedonicum cenſere, ſed cum ſolam acrimoniam ſine amaritudine habeat, non admitti poteſt. Eſt vero montanum quoddam genus huius ſaxifragæ, floris fere tantum colore differens, qui in campeſtri albus, in montana ſaxifraga purpureus eſt per vmbellam ſparſus, vtriusque radix acerrima alba. Montanam in montibus ſupra lacus Lemanni initium vocant Cettau, ſi recte memini, eaque lac coagulant,

acce-

accedere inde ſaporis quoque gratiam affirmantes. Altera herba quam caſeo veſtro condiendo adhibent lactarii, Germanicum nomen habet, Zigerkraut, id eſt Caſealis herba, caſeus enim eius odore maxime imbuitur prae caeteris, vt omnino et caſei et herbae idem fere ſit odor. Alii Stundkraut. Alii vocant Sybengezeyt, vel quod in omnes horas, vel quod ſepties in die tantum ſuum odorem medicatum variet, nunc amittat, nunc recipiat. Euulſa autem eundem fere conſtanter odorem ſibi ſeruat, tam vehementem vt nonnullis caput offendat, qui ad foenigræci odorem mihi videtur accedere, ſed non parum ſuauior et abundantior eſt. Inſtante pluuia per omnem domum odorem ſpargit. Seritur in hortis apud nos. Muliercularum ſuperſtitio herbam ſupra menſas et lectos ſuſpendit, vt veneni malorumque geniorum amuletum ſit. Herba eſt annua, relicto ſemine perit. Caulis cauus, ſtriatus, albicans, ſeſquicubitalis, aut circiter, multis alarum cauis. Folia ſunt pratenſis trifolii, aut loti herbæ, terna, ſerrata cuſpidibus in ambitu, flos canus, ex albo ſubcoeruleus, minor quam pratenſis trifolii. Semina mucronatis folliculis ſingulis ruffa, forma foenigræci, multo minora. Radix alba, breuis, recta, inutilis. Non poſſet aptior fingi deſcriptio ad ſylueſtrem lotum Dioſcoridis. Nihil enim impedimenti fert, quod illic agreſtis, apud nos ſatiua tantum floreat, cum idem eueniat circa plurimas alias: ſcatent longi tractus Narbonenſis

 Gal-

Galliae thymo, libanotidi coronaria, ſpica ſylveſtri, et aliis plerisque, quæ hic niſi curioſo cultu non proueniunt. Neque prohibet altitudo, ſi paulo procerior in calidiſſima regione quam in niuoſa viſatur. Haec ſit igitur lotus ſylueſtris*), quae leniter aſtringit, vultus maculas, aſperamque et diſcolorem ceu a ſole cutem ex melle inuncta exterit. Bibitur per ſe etiam conciſa, aut cum maluæ ſemine in vino paſſoue contra veſicæ dolores vtiliter. Hæc Dioſcorides. Galenus ſylueſtris loti ſemen ſecundo abſceſſu calefacere ſcribit, cum abſterſoria quadam facultate. Equidem ipſe in abſentis foenigræci locum ſylueſtrem lotum ſubſtituere non dubitarem, cui et figuram ſimilem, multo magis autem effectus habere videtur, ſicut et odorem, et ſaporem qui in vtrisque amariuſculus eſt. Nam et foenumgræcum duobus gradibus mediocre temperamentum in calore ſuperat, ſiccitate duntaxat vno, abſtergit, diſcutit, et multiplices vſus in medicina præbet. Has duas tantum herbas condimentarias, quibus veſtrum caſeum imbuitis hactenus intellexi, reliquas a nobis coram auditurus. Non eſt opus hoc loco Hieronymi Tragi mentionem facere, qui hanc plantam interpretatur pro trifolio aſphaltite, et eo quod Scribonius Largus oxytriphylli nomine deſcribit. Mihi neutrum eſſe conſtat. Non probo eos qui inter quatuor elementa Heluetiæ iocoſe ficta Glaronenſem caſeum pro terra connumerant

*) Dioſcorides.

rant, vt vinum Tigurinum aquæ loco, Rhetorum ſeu Leopontinorum linguam aëris vice, Fryburgenſium monetam pro igne recenſent: nimirum quatuor hæc ceu omnium viliſſima ſelegerunt, elementa proportione quadam nominantes, aut quod ad vitam hæc quoque neceſſaria ſint. Vinum ex agro Tigurino ad vicinos quoque transmittitur, huic aquæ vitium quod auſterum ſit, impingunt. Moneta Fryburgi, quod Aventici colonia eſt, ex ære fit. Non poteſt autem vita commode absque moneta tranſigi. Rhetica lingua leuis eſt, ex Italica corrupta, itaque reſpondet aëri, ex cuius repercuſſu vox reſilit. Eſt vero et linguæ ad commoditatem viuendi neceſſitas. Caſeus raſilis terram refert, vt illis placet, forte quod duriuſculus ac ſolidus ſit, praeſertim antiquior, vnde etiam raditur cultris, aut dolabellis ad id factis. Vitam autem ſine lactariis operibus non facile eſſet Heluetiis agere. Huiusmodi illi videntur rationibus vſi, quas ego non oppugnabo, neque vinum Tigurinum, quamquam gentile mihi, in praeſentia defendam. Sed in Glaronenſem caſeum, qui maxime huius argumenti eſt, iniqui mihi eſſe videntur, quod ipſum vt rem viliſſimam omnium elementotum feci comparent, obliti quam pretioſus ſit, quam ſalubris, quam iucundus, quantæ denique gratia cibi potusque faſtidium renouet, ſtomacho gratus et vtilis, ſupinum excitat, abundantes eius humores ſiccando conſumit, qualitate noxios emendat, herbarum beneficio quibus optimis

lectiſſimisque tamquam antidotis et antipharmacis quibusdam conſtat, vt recte nonnullos aeſtimare vim eius credam, qui loco theriacae facultatis ipſum commendant. Has eius dotes referre libuit in gratiam D. Oſualdi Myconii, præceptoris mei colendiſſimi, qui Baſileae nuper in doctorum conuiuio aduerſus acres accuſatores, ipſum ſua ſententia defendit. Sed hic finem faciam. Te doctiſſime Auiene iterum rogo, ſi quae ἀπροσδιόνυσα praeter ſcopum et ordinem ſcripta deprehenderis aequo animo legas, et ſi non librum, ſyluam aut congeriem haec appellato. Plerumque aliorum authorum ſententiis recitatis, integram ipſorum orationem ſequutus ſum, non in diuerſa loca, quod poſtulabat ordo, diſcerptam. Hoc ſolum adhuc monere libet, quod Plinius aſinae lac craſſiſſimum ſcribit, errorem eſſe, quandoquidem Galeno et experientia teſtibus, omnium habetur tenuiſſimum. Deinde quod idem author butyro aſtrigendi repurgandique vires attribuit, fateri minime poſſum. Si quid aliud eiuscemodi forte repertum fuerit in libello noſtro, quod nullum aut rarum fore opinor, authori ſuo ex quo nos deprompſimus, aſcribendum fuerit.

FINIS LIBELLI
DE LACTE ET OPERIBVS LACTARIIS.

INDEX RERVM

ET VERBORVM MEMORABILIVM.

Aexaphae 68
Agni ſemen, eius vis 78
Αἰγοθῆλαι, earum deſcriptio 9
Alimenta cum lacte cocta, cuius naturae ſint 24
Allium ſylueſtre, vires odorque eius 57
Ἀμέλγειν 8
Ἀμολγεὺς 8
Ἀμολγὸς, 9 νυκτὸς ἀμολγὸς 9
Anemone, vires 78
Anethi comae quid efficiant 78
Aparine, vſus apud Paſtores 11
Aphrogala, quid 7. 60
Archigenis de lactis vſu ſententia 37
Argyrothryphemata 55. 68
Ari folia caſeos aduerſus vermes defendunt 56
Ariſteus primus apum, mellis, lactis et coaguli vſum tradidit 58
Artolaganum 67
Ἄρτος ἁπαλὸς, confectio eius 67
Aſtrantia, eius deſcriptio 32. virtus 84

Βδάλλειν, quid 8
Bellarium apud Gallos vulgatiſſimum 68
Bitullus 68
Bunii, quid 71. eorum paratio 71
Butyrum, vnde nomen 15. 31. eius natura 15 vires 15. ex Galeno 28. aliae vires 28. 31. quid ſit 31 quod commendandum maxime, 31. virtutes a Dioſcoride commemoratae, 32. remedium eſt contra ſanguiſugas potas, 33. contra multipedes 33
Butyrum fictum, quomodo parandum 76

Calathus 10. 11
Calceolus 69
Calſeo 69
Caprimulgi, quid 9
Caſeale 46
Caſeus, qui optimus, 29. eius proprietates 29. qualis in vſu praeferendus 30. medicamentum ex caſeo antiquo 30. de vi recentis 30. caprinus eos iuuat qui viſcum biberunt 33. facultates et differentiae, ex Dioſcoride 44. aliud diſcrimen, et quando paratur 47. de caſeo faciendo, ex Palladii ſententia, 48 vitia caſei et ſigna boni 49 ratio faciendi ex Columella 49. ex Berytto, 51. quomodo ad aſſeruationem parandus 52. de eius differentiis 53. praeſtantiora quaedam genera, 56 ex amygdalino lacte 63 Caſeus frictus, eius confectio 73 Glaronenſis laus 82
Catatyron 63
χλωρὸς, variae eius ſpecies 55
Choria, eius deſcriptio 68
χοῦς 47
Cibarium ex amygdalis lacte coctum 63
Circaei ſeminis virtus 78
Circi 68
Circuli 68
Coagulare lac, quid, 7. variaque ſignificatio, 42 qualis ſit facultatis, 43. virtus medica, 44. vnde nomen 46
Coagulum, eius explicatio 9
Collacteus 11
Coloſtra, quid 7. quando fiant 7
Coloſtratio, quale genus morbi 7
Coloſtrum, 7. 16. quomodo coaguletur, 16. quid in eo diſcrimen quoddam faciat, 17. quomodo vtendum 17
Congius 46
Concretum amygdalinum, quomodo parandum 75
Cruſtoplacuntes 68
Cremor lactis 18
Cura teneſmi ſecundum Aetium 38
Cubus apud Athenaeum, quid 67
Cytiſus, eius vires 77

Deco-

Decoctio lactis, 22. modus decoquendi 23
Denarius 50
Δρακόντιον 48
Echinus 52
Echion, lac augmentat 78
Edulia nouem ex Columella 64
Edulium Romanum, 71. eius paratio 71
Ἐλέσμα 61
Empeptas 67
Emulgeo, varie accipitur 8
Enchytum, quomodo parandum 66
Ἐπίπαγος 60
Epityrum, 53. quomodo paretur 54
Erinaceus 52
Erneum, quomodo conficiendum 66
Eſitium Siculum, quomodo parandum 75
Fiſcella 10
Fiſcelli 11
Fiſcina 10
Fiſcinula 10
Foeniculi vires 78
Fluxione alui laborans, quomodo curandus 38
Formago 55
Frictellae ex Sambuco, earum confectio, 74. ex concreto lacte, quomodo parentur 74
Fuligo ex butyro, quomodo colligatur, 32. effectus eius 32
Fumentinum, eius confectio 72
Γάλα, vnde nomen 5
Galactites lapis 5
γαλαθηνόν, quid apud Graecos 4
Γαλακτιᾷν 4
Γαλακτοκομός 5
Γαλακτουργεῖα 10
Γαλακτουργὸς 4
Galactophagi 4
Galactopotae 5
Γαλακτῶδες 5
Γάλα ὀρνίθων 6
Galatea, vnde nomen 5
Gala

Galaxaera 5
Γαλαξήας, eius explicatio 4
Γαληνὸς, quid apud Graecos 5
Galli, vnde 5
Gallicus caſeus 55
Gallion 11
Γαλουργεῖν 10
Gaſtellus 68
Gaſter, 68 foliatus 68. eius confectio 68
Γαυλὸς 10
Gaurites 70. eius confectio 70
Gaurula, 70. eius confectio 70
Glaro, eius laus 82
Γλαγερὸς 10
Γλαγόεις 10
Γλαγὸς 10
Globuli, quomodo conficiendi 65. 71
Glycyrrhiza 45
Grateron 11
Γραῦς 60. varia eius ſignificatio 61
Halimi radicis vires 78
Hippace, 44. facultas eius 44 quorum inuentum 45
Hypotyris 54
Iecur anſeris, quomodo lacte paretur 80
Immulgeo, quid 8
Iuncata, 59
Iunculus 59
Καχληκὴ 38
Καλαθισκὸς 10
Kleberkraut 11
Κρεμαστὴρ 10
Lac, quid, 1. eius generatio, 2. etymologia 5 gallinaceum quid, 6 de eo in genere 24. eius ſalubritas, vnde oriatur et iudicetur, 24. de his, quae cibi gratia cum lacte coquuntur, 24. vbi ſine ſero prematur, 28. vſus aduerſus venena, 33. aſinini contra cantharidas et ephemerum potum virtus, 33 differentiae et vſus externus, 34 virtutes 34 vomitorium caprarum quarundam 34. variorum lactis ge-

genererum differentiae, 7. iuncatum quid 8. amygdalatum, quomodo praeparetur, 11. anſeris lac, 12 coagulum lactis, quomodo fiat, 16. differentia ab anni temporibus, 17. ab aetatum differentiis, 17 ab animalibus 17 ab habitu animalium 18. a paſcuis, 18. quibus competat, 19. commoditates 19. de modo, menſura, ac tempore vtendi, 20 quibus lac obſit 22. decoctio 23. virtutes in variis morbis 35. humanum, 35. eius proprietates et vires medicae, 36. quando et quibus vtiliſſimum 36. in oculorum doloribus 37. quando inutile 37. quae differentia attendenda, 37. cum melle quibus exhibendum, 37. caprinum teneſmo medetur, 38. idem et bubulum biliofis fluxionibus, 38. in grumos coactum, 39. ſuffocationem infert, 39. ſtrangulationes facit, 40. natura et diſcrimina ex Varrone 46 pro vino vbi ſacrificetur, 48. probatio an aquam contineat 53. vbertatem quae concilient, 77. de genitrice eius facultate 79
Lachman 67
Lactare, varia huius vocis explicatio 4
Lactaria herba, quid 3
Lactaria columna, vnde dicta 6
Lactarium opus, quid 3
Lactarius, quis ſit, 3. piſtor quis 4
Lactes, quid apud graecos 3
Lacteſcere, quid 3 ſeq.
Lacteus, varia eius ſignificatio 4
Lacteum Liuii flumen 6
Lacto, quid inde deducatur 6
Lactucae ſatiuae vires 78
Lactuca, vnde nomen et quid in cibo conciliet 3
Lactucinorum familia apud Rom. vnde ſic dicta 4
Lepidium, vſus eius 15
Libum, quomodo faciendum 64. 68
Lilii flos ex lacte Iunonis natus, 6. Martialis de eo verba 6
Loti vires 86
Μᾶζα ἀμολγαίη 10
Mel, optimi notae, 40. effectus eius cum lacte permixti 41
Melanthii ſeminis vires 78
Me-

Melca, praeparatio eius 58
Melicratum 61
Mulctra, varia huius vocis ſignificatio 8
Mulctrale, quid 8
Mulctrum 8
Mulgere, quid 8
Muſquetum 11

Nanus 67
Nix in lacte, quid ſic appelletur 60
Numella 51
Nutricis lac quomodo ſit explorandum 36. quid faciendum, ſi lac imminutum ipſi fuerit 78

Ocimum, quid producat 78
Offella, quomodo paranda 72
Omeliſis 53
Ὁμογάλακτος 11
Opia 56
Ὀπὸν 48
Ὄψον διὰ γαλακτὸς 61
Oogala, 8. vſus eius 13
Ὀρθοπύγιον, 27
Ὀῤῥὸς, 27
Ὀῤῥοπύγιον 27
Ὀῤῥοῦσθαι 27
Ὀῤῥῶδες 28
Oryzitae, 68
Oxygala, quomodo fiat, 13. 15. eius natura et vires 16
Oxygalactinus caſeus 15. 29. vires medicae 31
οὐροπύγιον 27
Opus ex lacte coctum cum oryza 63

Panis ſtrepticius, 67. caſeoſus 67
Parmenſis caſei laus, quomodo ſeruandus 56
Πέλεκυς, quid 9
Πελεκῶ, quid 9
Πέλλα, quid 8. 10
Πελλαντής quid 9
Πελλίς, quid 9
Peluis, vnde hoc nomen 9
Pfund, vnde dictum, 47
Phthoe, quomodo paranda 68
Φιλάνθρωπος 11

Πηγνύ-

Πηγνύναι γάλα, quid 9
Picerion 31
Πικτύα, 41. 43
Πιτύα 32. 52
Πιτύνη 42
Placenta quomodo paranda, 64. iudicium Galeni de iis, 76
Placentini caſei 55
Popelini, 69. eorum praeparatio 69
Poppea, quomodo lacte ſit vſa 34
Protogala 16
Ψυγὸς 10
Ψυκτὴρ 10
Pyctes 8
Pyos, et Pyon; quid 8
Pyriathes, quid 8
Pyrihephthon, v. Pyriathes
Puls ex ouo et lacte, quomodo medicis nominetur 8
Puls punica, quomodo paranda 66
Quaſillus 11
Quinquefolii virtus 77
Rampſer 57
Rapum armatum, quomodo conficiatur 73
Rato 69
Recocta 57. ficta, quomodo paranda 76
Ῥοὸς 27
Ruma 42
Sacharum cum lacte conditum et melca 62
Salita 57
Salonites caſeus, apud quos in gloria 55
Sauillum quomodo parandum 66
Sciſſile lac 35
Scirbatiſſus 68
Σχιστὸν, quomodo fiat, 35. quando lac ſic 35
Σχίσις 16
Scriblita, quomodo paranda 68
Secundarius caſeus 56
Serum lactis 25. vires 25. quomodo parandum, 25 vſus, 25. praeparatio apud Cares, 26. quibus conveniat, 26. quid a vulgo Medicorum ſic nominetur, 27. coniectura de appellatione ſeri, 28. quibus dandum 35
Sinus 49

Σχα-

Σκαφίς 10
Smyrnium, deſcriptio et vires 84
Sonchi ſucci vires 78
Spira, quomodo facienda 65
Spuma lactis, vbi conficiatur 7
Staetitas, vnde fiat 67
Συνιστάναι γάλα 10

Taganitae, vnde ipſis nomen 71
Τάλαρος 10
Ταμισον 43
Ταῤῥός 10
Τάρσος 10
Tempora, diuerſa mulgendi 9
Teneſmi cura 38
Τέρσειν 10
Θηλεία 56
Torta alba, quomodo paretur, 72. vis medica 72
Bononienſis, eius confectio 72
Tragus ſaxifraga, eius deſcriptio 84
Τρέφειν γάλα 10
Τροφαλὶς 55. varie exponitur 61
Τυρόγαλα 27
Τρόκνη 10
Τυρόκνησις 10. 46
Τυρόκομειν 10
Τυροκομεῖον 10
Tyroſcina eius confectio 67. 69
Τυροφορεῖον 10
Τυροῦσθαι 46
Τυρῶδες 46

Unſer Frauenbettſtroh 11
Vermiculi, quomodo parandi 75
Veſpertilio, lac habet 81
Vita 45
Vitis albae ſucci vires 78

Ξενοκράτους τυρίον 57
Xeria tyros 54

Ὑπομάζιον 4

Ziegerkraut, ad caſeum condiendum vtilis eius deſcriptio et vires 85